2

SYNODUS DIŒCESANA S. SEVERI

AB ILLUSTR.^mo^, ET REVER.^mo^ DOMINO

FR. ADEODATO SUMMANTICO,

Expriore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini, Dictæ Civitatis Episcopo celebrata in ejus Cathedrali Ecclesia diebus trigesima, & ultima mensis Octobris, & prima Novembris Anno Domini MDCCXX.





BENEVENTI MDCCXXI.

Ex Typographia Archiepiscopali.

Dono Ill.mi et Rev.mi Archidiaconi de Licatra.



EDICTUM INDICTIVUM SYNODI.

FR. ADEODATUS SUMMANTICUS

Ordinis Eremitarum S. Augustini, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus S. Severi, & Civitaten.



UM præcipuum sit Pastoris officium oves sibi commissas ad salubria ducere pascua, ut salubriora possint in æternis invenire Tabernaculis; in suscepti a nobis Episcopatus primordiis gregem curæ nostræ commissum personaliter visitare, ac Diœcesim universam pluries perlustrare nequaquam distulimus. Et quanquam in hac exercitatione positi conditiones subditorum, populorumque mores dignoscentes, nonnullas vitiorum plantagines evulsimus, abusus destruximus, scandala, & corruptelas, divina protegente gratia dispersimus, & dissipavimus, ac opere, & sermone virtutes in fidelium mentes ædificantes, Christianam plantare disciplinam non cessavimus; persæpe tamen calculorum dolore correpti, lethalibus vexati infirmitatibus, Episcopii restauratione præpediti, ac persecutionum fluctibus usque ad animam agitati, nostræ conscientiæ, & desiderio in celebranda Diœcesana Synodo a Sanctis instituta Patribus, & a Concilio Tridentino præcepta, satisfacere nondum potuimus. Hisce tamen temporibus, in quibus aliquali fruimur pace, & salute, nolentes tam pium,

perneceſſarium, ac Nobis injunctum opus in poſterum amplius differre, ut validiùs peracta conſolidentur, & quæ nova reparatione, & reformatione indigent, quamprimum pro viribus reſtaurentur; noſtram primam Synodum, adjuvante Deo, convocare, & celebrare decrevimus. Peramanter in primis noſtrum invitantes Capitulum, univerſis proinde, ac ſingulis, & quibuſcunque Eccleſiaſticis tam de Civitate, quàm de cæteris Diœceſis noſtræ locis, ſive Presbyteris, ſive Clericis tam in Sacris, quàm in minoribus Ordinibus conſtitutis, beneficia curata, & ſine cura poſſidentibus, aliiſque omnibus adhuc Regularibus, qui forsan de jure, vel conſuetudine adeſſe tenentur, in virtute Sanctæ Obedientiæ, necnon ſub pœnis per Sacros Canones injunctis, & aliis arbitrio noſtro infligendis, præcipimus, & mandamus, ut die trigeſima currentis menſis Octobris, quam pro Synodo inchoanda ſignanter indicimus cum duobus aliis ſubſequentibus diebus clericali habitu talari induti, ac aliis indumentis, & ſignis eorum muneribus, & ordinibus reſpectivè congruentibus inſtructi, in noſtram Cathedralem Eccleſiam ſummo mane conveniant, neque verò pro ſe alios mittant, dummodò non ſint, legitima per Nos cognita cauſa, impediti. Ut autem id exactiùs ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac animarum ſalutem perfici queat, omnes enixè tam de Clero, quàm de populo in Domino obſecramus, ut jejuniis, orationibus, Sacramentorum frequentia, ac Sacrificiis a Patre luminum auxilium Nobis impetrent, & ſeipſos hoſtias Deo acceptabiles exhibeant. Qua de cauſa a Clemente XI Regnante humiliter plenarias indulgentias petivimus, & ſingulis Chriſtifidelibus Sacramentis Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ præmunitis, & noſtram Cathedralem in una ex tribus diebus indictis viſitantibus obtinuimus. Volumus autem, ut hac

Sy-

Synodi indictio affixa valvis tam Ecclesiæ Cathedralis, quàm Parochialium Civitatis, & Diœcesis omnes, & singulos afficiat, ac si fuisset singulis personaliter intimata. Datum S. Severi ex nostro Episcopio hac die 16. mensis Octobris 1720.

FR. ADEODATUS EPISC. S. SEVERI, ET CIVITATEN.

Abbas Augustinus Coizzius Secr.

PRI-

PRIMA SYNODUS DIOECESANA

HABITA

AB ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOM.

FR. ADEODATO SUMMANTICO

Episcopo S. Severi.

In nomine Sanctissimæ, atque Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, B. Mariæ semper Virginis, Sanctorum Severi, & Severini Patronorum, aliorumque Sanctorum, &c.

FR. ADEODATUS SUMMANTICUS
Olim Prior Generalis totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, Dei, & S. Sedis Apostolicæ gratia Episcopus S. Severi, & Civitaten.

INJUNCTUM Nobis Episcopatus onus exposcit, ut ad ea, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, morumque reformationem conferunt, animum seriò dirigamus. In his enim remedium potissimùm parare decet, in quibus animarum salutem Nobis commissarum magis periclitari comperimus; ne ex his, quos Sancta Apostolica Sedes nostræ vigilantiæ destinavit, quenquam perdamus. Non aliud equidem Oecumenica, & Generalia Concilia, dum Synodorum celebrationem edixerunt, inspexere, nisi Ecclesiastici ordinis decus, morum compositionem, ac Fidei puritatem, ut scilicet tribuli, & spinæ ab agro Domini evellantur, & frumentum purum

ser-

servetur in horreo Militantis Ecclesiæ. Ad hæc itaque Nostræ Pastoralis sollicitudinis aciem convertentes, nostræ Cathedralis Ecclesiæ Dignitates, Canonicos, & Abbates, necnon Parochos tam Civitatis, quàm Diœcesis, aliosque, prout de jure, & consuetudine duximus convocandos, cum quibus matura super his, quæ correctione, & reformatione indigent, habita discussione, quæ sequuntur, prout ex alto Nobis datum est ordinanda, & statuenda censuimus.

DECRETUM

DE EXAMINATORIBUS, ET JUDICIBUS SYNODALIBUS

Sacrosancti Concilii Tridentini Sanctionibus obsequentes, proponimus Vobis hos viros pietate, & doctrina præstantes, qui Examinatorum Officio fungantur, quoad altera Synodus habeatur.

EXAMINATORES SYNODALES.

Adm. Rev. Sac. Theol., & U.J.D. D. Nicolaus Fania Canonicus Pœnitentiarius, ac noster Vicarius Generalis.	*DIGNITATES, & Canonici respectivè nostræ Ecclesiæ Cathedralis.*
Adm. Rev. U. J. D. D. Nicolaus Scorzia Archidiaconus.	
Adm. Rev. D. Dominicus Giarnieri Archipresbyter.	
Adm. Rev. D. Franciscus Summanticus Primicerius.	

Adm.

Adm. Rev. U.J.D. D. Joſeph Bellinus Abbas Mitratus, Canonicus Theologus, & Decanus.
Adm. Rev. Canonicus D. Michael Grimaldus in Sacra Theologia Licentiatus.
Reverendiſs. P. D. Hieronymus Marinus Abbas Cœleſtinorum.

Rev. D. Joſeph de Magris Archipresbyter S. Severini.
Rev. D. Petrus Antonius Trotti Archipresbyter S. Nicolai.
Rev. D. Hyacinthus Orciuolus Archipresbyter S. Joh: Baptiſtæ.
Rev. U.J.D. D. Octavius Manuppellus olim Archipresbyter Sanctæ Mariæ Turris Majoris.

] *Eccleſiarum Parochialium Civitatis.*

IN JUDICES SYNODALES.

Ejuſdem Sacri Concilii Tridentini, ac Bonifacii Papæ VIII, necnon aliorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus inhærendo, infraſcriptos Judices, quibus cauſæ per Sedem Apoſtolicam delegari poſſint, & in Regularium Conſervatores eligi valeant, ad prædictarum Sanctionum tenorem Vobis proponimus, & eligimus

Dom. Canonicum Nicolaum Fania Vicarium General.
Dom. Archidiaconum Nicolaum Scorzia, &
Dom. Canonicum Joſeph Bellinum.



CAPUT PRIMUM

De Fide Catholica, ejusque Professione.



ATHOLICÆ Fidei, quæ salutarium virtutum omnium radix est, & fundamentum, sine qua nemo salvus esse potest, juxta præscriptum *Sac. Concil. Trid.*, & *Pii IV Constitutionem* coram Nobis, aut Vicario nostro Generali, necnon coram Capitulo Professionem emittere tenentur quicunque Dignitatem, Canonicatum, aut Abbatiam in nostra Cathedrali Ecclesia sunt adepti, ante possessionem capiendam, si præsentes sint; si verò absentes intra duos menses computandos a die adeptæ possessionis: necnon, qui Beneficia cum cura Animarum, sive Parochi sint, sive Oeconomi deputati vacantibus Parœciis, aut sine cura consequuntur; aliàs fructus suos minimè facere sciant.

Verbi-Dei Prædicatores, si fuerint Seculares, antequam ad Conciones mittantur, Fidei Professionem facere debebunt. Regulares verò testimonium nobis Professionis Fidei emissæ coram suis Superioribus, dum se

ſe conferunt pro benedictione accipienda, exhibere tenebuntur; aliàs non admittentur.

Similiter illos, qui ſcientias, aliaſque facultates ſive domi privatim, ſive publicè docent, necnon medicam exercentes ad eandem Fidei Profeſſionem emittendam obligatos eſſe volumus. Quibus etiam obſervantiam Conſtitutionis Sancti Pii V incipientis *Super Gregem* ſeriò injungimus: ſtrictè præcipientes Parochis, ut, ſi quos habeant intra ſuæ Parœciæ fines de his hominum generibus, quamprimum referant, an huic noſtro Decreto ſatisfecerint.

Volumus autem Nomina, Cognonima, Patriam, Gradus, & Profeſſiones eorum, qui coram Nobis, vel Vicario noſtro Fidei Profeſſionem fecerint, in libro ad hunc uſum deſtinato per Cancellarium noſtrum adnotari, & librum in Archivio Epiſcopali diligenter aſſervari. Contrafacientes verò pœnas per Sac. Conc. Trid. ſtatutas incurrant.

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI.

EGo N. N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium: Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia Secula: Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis: Et incar-

natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt: Crucifixus etiam pro Nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas: Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: Qui locutus eſt per Prophetas: Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum: Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi Seculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſve ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & intepretabor. Profiteor quoque Septem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ Legis a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani Generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, &

de

de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sacramento Eucharistiæ Sanctissimo esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem unâ cum anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia *Transubstantiationem* appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse: eosque orationes Deo pro Nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesiam relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac jussu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses qualcunque

ab

ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, & rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum; Ego idem N. N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

CAPUT II

De Sacramentis in genere.

NOvæ Legis Sacramenta, quæ signa visibilia sunt invisibilis gratiæ, quam conferunt, ad nostram Sanctificationem a Christo Domino instituta, nonnisi juxta ritus a S. Romana Ecclesia approbatos, sunt ministranda. Quare, ne in eorundem ministratione aliquis error subrepat, curam habentes animarum hortamur in Domino, & monemus, ut sæpius Rituale Romanum consulant, illudque præ manibus habeant. Eaq; prorsus non ministrent sine vestibus illis, quæ ab eodem Rituali Romano præscribuntur.

Sedulò curent, ut ea, quæ in Sacramentis ministrandis destinata sunt, ab omni immunditia serventur immunia, & cautè custodiantur.

Quovis tempore, ac hora Parochi requisiti præsto sint in Sacramentis ministrandis, ut assidua eorũdem vigilantia magis excitentur fideles ad illa suscipienda.

Ægro-

Ægrotos verò etiam non vocati invisent, & salutaribus monitis adjuvent, ac hortentur, ut illis Sacramentis se muniant, quæ necessaria videbuntur; ne Familiarium insinuationibus plus de corporis, quàm de animæ sanitate sollicitorum iis priventur, aut ipsis ea, plusquam par est, differantur.

Nemo, cujuscunque sit gradus, status, & conditionis, ad suscipienda Sacramenta cum armis, aut ornamentis ab honestate alienis admittatur. Decet porro in spiritu humilitatis, & reverentiæ Sacra Mysteria recipere.

CAPUT III

De Sacramento Baptismi.

Baptismus, qui Janua est cæterorum Sacramentorum, & regenerationis lavacrum, per quod scilicet renascimur ad vitam, sicut mortui eramus per peccatum originale; non, nisi cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, est ministrandus. Quare, cùm parvuli usum rationis non habeant, nec actu mysteria Fidei credere valeant, Baptizans, & Patrini eorum vices suppleant, oportet. Idcirco Parochos, seu quoscunque, quibus baptizandi cura demandata est, monitos volumus, ut in pueris baptizandis omnem diligentiam adhibeant, ut rite, recteque Sacramentum hocce ministretur, & Patrinos de eorum obligatione seriò admoneant.

Caveant Parochi, nè pueris profana, ridicula, turpia, diminutiva, aut Gentilium nomina imponantur; sed illorum dumtaxat, qui inter Sanctos adorantur in Terris, & regnant in Cœlis; ut, cùm ad usum per-

pervenerint rationis, illos eosdem sibi eligant in Patronos, quorum nomina sortiti sunt in Baptismo.

Baptismus infantium ultra triduum non differatur; quapropter Parentibus strictè præcipimus, & mandamus, ut quantò ocius infantes suos Sacro regenerationis lavacro abluere faciant. Quod, si ultra triduum sine nostra, aut nostri Vicarii licentia cum rationabili causa dumtaxat concedenda, Baptisma distulerint; excommunicationis majoris pœnam se noscant incurrisse juxta Prædecessorum nostrorum statuta. Si autem culpa, aut negligentia Parochi infantem sine Baptismo decedere contigerit, is pœna suspensionis a Divinis ipso facto, & Nobis reservatæ subjaceat.

Ad Parochos, eorumque Substitutos, seu Oeconomos a Nobis approbatos hujusce Sacramenti Ministerium pertinet ex officio. Quare cæteri Ecclesiastici tam Seculares, quàm Regulares ab ejus solemni administratione prorsus abstineant, nisi licentiam a Nobis, vel Vicario nostro in scriptis obtinuerint, quam Parochus in libro Baptizatorum innuere teneatur.

Et, quamvis in casu necessitatis quilibet sive mas, sive femina hujus Sacramenti Minister esse possit; volumus tamen, ut si adsit Sacerdos, Diacono: Diaconus, Subdiacono: Clericus, Seculari: & mas demum mulieribus præferantur excepto casu, quando scilicet infans non dum totaliter in lucem prodierit; tunc quippe, ut honestati consulamus, mulieres maribus anteponendas esse mandamus.

Quod, si contingat in his, aliisque casibus infantem a mulieribus, aut rudibus personis baptizari taliter, ut de validitate baptismi prudēterdubitari possit; Parochus ab his diligentissimè perquirat, quomodo, &

qua

qua intentione Baptiſmum contulerunt? Si autem ratè peractum eſſe compererit; preces, & cæremonias omiſſas duntaxat compleat abſque nova ablutione. Sin minùs, infantem ſub conditione baptizet dicendo: *Si non es baptizatus, &c.* Quod quidem præſtare tenetur circa infantes expoſitos, alioſque, de quorum certo baptiſmo rationabiliter dubitari poterit.

Erudiant Parochi Obſtetrices de forma, & materia hujus Sacramenti, necnon de intentione, quam habere debent, faciendi ſcilicet, quod facit Eccleſia. Quare præcipimus, & mandamus ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ut infra ſpatium octo dierum a promulgatione hujus Conſtitutionis Synodalis Obſtetrices præfatæ ſe præſentent Parochis ſuis examinandæ circa adminiſtrationem Baptiſmi; ut illis ſolùm permittatur prædictum Miniſterium exercere, quæ ſufficienter inſtructæ videbuntur in Baptiſmi collatione.

Ad Sacri Concilii Tridentini præſcriptum nullatenus admittantur plures Compatres, ſed unus tantùm ſive vir, ſive femina, vel ad ſummum unus, & una Baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiant. Sciantque, prout Parochi eos admonere tenentur, Cognationem ſpiritualem contrahi inter Baptizantem, & Baptizatum, ejuſque Parentes: necnon inter Suſcipientes, & Suſceptum, & illius patrem, & matrem tantùm; Parentibus inter ſe prorſus exceptis, quando ſcilicet unum, vel alterum, ſic ſuadente neceſſitate, infantem ſacro regenerationis Lavacro abluere contigerit.

Non admittantur Clerici ſive Regulares, ſive Seculares abſque noſtra, vel noſtri Vicarii licentia in ſcriptis ad munus Patrini: nec mares, qui quatuordecim annos, nec feminæ, quæ duodecim annos non atti-

gerunt. Illi autem, qui Sacramentum Confirmationis non dum susceperunt, aut sunt notoriè excommunicati, vel interdicti, necnon infames, flagitiosi, blasphemi, non communicantes in Pascha, & qui demum rudimenta Fidei non callent, a tali munere prorsus rejiciantur; etiamsi licentiã per obreptionem, aut subreptionem obtinuissent.

Graviter peccant Parentes, Nutrices, aliique, ad quos spectat, dum infantulos ante annum completum in lectulo proprio detinent absque sufficienti cautela, qua suffocationis periculum vitetur. Hinc frequentibus infantulorum suffocationibus occurrere volentes, mandamus, ne infantulos, qui annum non compleverunt, omissis, aut neglectis diligentiis, & cautelis opportunis in proprio lectulo detineant. Quod si his non adhibitis suffocatio sequatur, poenam excommunicationis majoris ipso facto, cujus absolutionem Nobis reservamus, se noscant incurrisse.

Librum habeant Parochi bene compactum, & chartulatum, in quo notent nomina Baptizatorum, eorumque Parentum, & Patrinorum cum distinctione clara, & distincta diei, mensis, & anni collati Baptismatis, & non per compendium, aut per arithmeticas figuras, necnon cum expressione, an Baptizatus sit ex legitimo matrimonio procreatus. Quem librum diligentissimè custodire teneantur. Contrafacientes poenam decem librarum ceræ elaboratæ eidem Ecclesiæ Parochiali applicandam sine spe veniæ incurrant.

Ad vitandam quamlibet superstitionis suspicionem Parentibus, Nutricibus, Consanguineis, Obstetricibus, & aliis quibuscunque seriò prohibemus, ne super infantes tempore præsertim, quo ad Baptisma ducuntur, involvant, aut involvere faciant, vel consentiant monetas, clavos ferreos, aliaque a Sancta Matre Ecclesia non permissa, aut probata. sub poena Excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, &

No-

Nobis reſervata. Sicut mandamus Parochis, ne permittant, ſalem, candelas, goſſipium, ſudariola ad baptiſmum adhibita domum, vel extra Eccleſiam deferri ſub pœna trium ſcutorum auri pro noſtro arbitrio locis piis applicandorum.

Fons Baptiſmalis ex integro, & duro lapide conſtet: Turricula ad inſtar Tabernaculi, qua fons ipſe cooperitur, firma ſera claudatur, & decenti Conopeo contegatur: ſit etiam in parte interiori affabrè induta. Super fontis operculo ſit capſula cum vaſis Oleorum, Chriſmatis, & Catechumenorum cum ſuis propriis inſcriptionibus, ne confundantur: ſal, ſudariola, nec non rudicula ex una parte acuminata, ne aqua baptiſmalis per diverſa dilabatur. In parte ſuperiori Turriculæ, ſeu Tabernaculi apponatur Icon Chriſti baptiſmum ſignans in Jordane, & a latere Fontis Baptiſmalis habeatur piſcina, ſeu ſacrarium, quod aquam ex capite baptizati cadentem recipiat.

C A P U T IV

De Sacramento Confirmationis.

Sicut per Baptiſmum regeneramur ad vitam, ita per Confirmationem confirmamur ad pugnam, ut contra vitia, & ad Fidei confeſſionem robur accipiamus. Hinc Parochi, cùm primùm literas noſtras acceperint de hoc Sacramento a Nobis conferendo, ſingula, quæ ad valorem, & fructum ejuſdem pertinent, inter Miſſarum ſolemnia populum edoceant.

Eorundem Parochorum cura erit inſpicere, an confirmandi ſint baptizati, & calleant principaliora ſaltem noſtræ ſanctæ Fidei myſteria, ut illis duntaxat ad Confirmationis Sacramentum admittantur, qui idonei reperti fuerint. Qui-

bus tradant ſchedulam, in qua deſcribatur nomen, cognomen, patria, & Parochia confirmandi, ſicut & nomina Parentum, & Patrinorum. Præcipimus tamen Parochis, ut ad hoc Sacramentum non admittant, niſi, qui ſeptimum ſaltem ætatis annum attigerunt. Confirmatos verò deſcribant in libro ad id ſpecialiter deputato juxta ſchedulam confirmandis traditam, prout ſtatutum eſt in Sacramento Baptiſmatis.

De Eccleſiæ conſuetudine in hoc Sacramento unus Patrinus, qui cum Confirmato, ejuſque Parentibus Cognationem contrahit ſpiritualem, eſt admittendus. Præcipimus tamen, ut maſculi a maſculis, & feminæ a feminis ſuſcipiantur, & unus, vel una: non plures, quàm duo, vel tres ad ſummum ſuſcipiant.

Confirmandi porro ab Epiſcopo modeſtiam præſeferant, & ad tantum Sacramentum non accedant, niſi corde ſaltem contrito, vel Sacroſanta Euchariſtia refecti, ſi eorum ætas id permiſerit. Patrini verò tali munere non fungantur, niſi armis depoſitis, ſi viri ſint; ſi feminæ tecto capite, & pectore velato, ut ſacrum Chriſma ea, qua decet reverentia, veneratione, & timore, miniſtretur.

C A P U T V

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

AUguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod cibus eſt animæ, & ſanitas mentis, necnon pretium Redemptionis noſtræ, monimentum Redemptoris, ac Redemptorum munimentum: quove paſſionis, & mortis Chriſti memoriam recolimus, retrahimur a malo, in bono confortamur, & ad virtutum, gratiarumque proficimus incrementum; ſumma religione colendum eſt. Quare, ſicut oportet, decenter aſſer-

ve-

vetur; mandamus, ut Ciborium, seu Tabernaculum sit semper mundum tam intus, quàm foris: tectum Conopeo viridis, vel rubri, vel albi, vel violacei coloris juxta paramentorum rubricas mutando. Intus serico panno albo, aut rubro sit subsutum cum Ostiolo firma sera munito, cujus clavis argentea, vel saltem inaurata sit semper penes Parochum. Et in summitate Tabernaculi Imago Christi Resurgentis apponatur.

Pyxis, in qua asservantur particulæ consecratæ, sit argentea, & intus per totum inaurata cum suo Conopeolo serico albi coloris, & super mundo Corporali singulis bimestribus mutando in planitie interiori Tabernaculi collocetur.

Bis ad minus in mense Parochi Eucharistiam renovent, & curent, ut sint semper hostiæ consecratæ in competenti numero, ne desint populo, aut infirmis petentibus.

Diu, noctuque ante Ciborium lampas ardeat. Quàpropter seriò Parochis, Sacristis, aliisque, ad quos spectat, injungimus, ut omnem diligentiam adhibeant, ne lumen extinguatur. Dedecet quippe, qui Lumen est ad illuminandum mundum, sine lumine permanere. Quod, si eorum incuria id acciderit, pro qualibet vice pœna unius ducati Altari Venerabilis applicanda mulctabuntur.

Quilibet Fidelis, cùm ad ætatem adultam pervenerit, ad minus in tempore Paschali, quod incipit a Dominica Palmarum, & definit Dominica in Albis inclusivè, de manu sui proprii Parochi Sacramentum Eucharisticum sumere tenetur. Quare ille, qui præfato tempore extra Ecclesiam Parochialem, sive in Ecclesiis Regularium, sive in Oratoriis tam publicis, quàm privatis de manu cujuscunque Sacerdotis, qui non sit neque suus Parochus, neque Oeconomus sine nostra, vel nostri Vicarii, aut proprii Parochi licentia hoc Sacramentum sumpserit; sciat præcepto Paschali non satisfecisse. Expedit

quip-

quippe, ut saltem Pastor semel in anno agnoscat vultum pecoris sui. Præfatum tamen præceptum implere declaramus, qui de manibus nostris tempore Paschæ panem Eucharisticum accipiunt. Et, ut omnis fraus intercidatur, volumus, quod prædicto tempore communicante Episcopo præsentes sint Parochi, vel eorum Oeconomi, quibus onus incumbet describendi Parochianos suos, qui Eucharistiam sumunt de manu Episcopi. Præcepti autem Paschalis transgressores pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, vel anathematis mulctabuntur.

Ne porro hujusmodi transgressores impuniti evadant, præcipimus Parochis, ut singulas domos suæ Parœciæ adeant tempore Quadragesimali, & utriusque sexus incolarum nómina describant in libello juxta leges Ritualis Romani: & illis, qui præcepto satisfecerunt, schedulam tradant aliquo signo notatam, & ab omni suspicionis fraude immunem. Quas schedulas recolligant a suis Parochianis completo tempore Paschæ. Si quos non adimplevisse hoc præceptum invenerint, simul cum copia status animarum nostro Vicario Generali in scriptis notificent, ut debitis monitionibus præmissis pœna statuta plecti possint.

Qui autem dolosè, vel prætextu negotiorum a civitate, vel sua Parœcia se absentaverit, ne huic præcepto Paschali satisfaciat; tanquam ejusdem præcepti transgressor habeatur, & puniatur, etiamsi alibi communicaverit.

Quamvis quilibet Fidelis Ecclesiæ præcepta scire teneatur, volumus nihilominus, ut Parochi in principio Quadragesimæ indicent Parochianis suis teneri tempore Paschatis sacram Communionem in propria Parœcia suscipere; sicut & ipsis mandamus, ut eosdem Parochianos admoneant, & hortentur ad sacræ Communionis frequentiam. Quantum autem ad quotidianam Communionem attinet, in omnibus servati

volu-

volumus Decretum Sacræ Congregationis Concilii in fine hujus Synodi apponendum.

Ab hac Cœlesti mensa, si monitionibus præmissis signa emendationis non dederint, prorsus arceantur publici excõmunicati, manifesti, & scandalosi peccatores, grassatores viarum, meretrices, usurarii, blasphemi, conjuges absque legitima causa per Ordinarium probata non cohabitantes, & demum malefici; ne margaritas ante porcos projicere videatur. Ægroti verò, & in carceribus detenti in tempore præfato pane Eucharistico non sunt privandi; quare quilibet Parochus ægrotos suæ Parœciæ, & ille, in cujus Parochiæ districtu sunt carceres, carceribus detentos eodem sacramento reficiant.

Clerici semel ad minus in mense die festivo, & in Missa conventuali, quæ celebratur in illa Ecclesia, cui sunt adscripti, sacra Synaxi reficiantur; aliàs sciant nequaquam promovendos ad ulteriores ordines. Hortamurque Sacerdotes, etiamsi curam animarum non habeant, ut diebus saltem festivis Missæ sacrificium peragant; dummodo non sint aliqua infirmitate impediti.

Cùm ad ægrotos Sanctissimum Viaticum deferendum est, signo campanæ convocetur populus, & dum defertur, præcedant faces accensæ in competenti numero, & quatuor saltem laternæ hastilibus superimpositæ. Præcedat quoque Clericus, vel laicus pulsans tintinnabulum, ut occurrentes advertant, & adorent. Sacerdos verò capite penitus aperto sub baldacchino, aut umbella superpelliceo, & stola indutus, & humerali, ambabus manibus sacram Pyxidem ante pectus reverenter gestans, psalmos, & preces alternatim cum populo recitet. Volumus insuper, quod duas ad minus hostias in sacra Pyxide deferat, ne post infirmi communionem ad Ecclesiam redeundo, nulla Hostia in Pyxide remanente,

plebs

plebs idololatrare videatur. Qui autem Sacerdotem deferentem Euchariſtiam obviam habuerit, de equo, vel rheda deſcendat, flectat genua; Sacramentum adoret, & comitetur, ſi commodè poterit.

Injungimus quoque Parochis, eorumque Oeconomis, ut cùm primùm Parochiani ægrotare cœperint, eos hortentur ad Sacramentalem Confeſſionem peragendam, & ad Sacramentum Euchariſtiæ ſumendum; quod quidem de nocte ægrotis deferri non debet, niſi neceſſitate urgente: annuncientque populo indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas illis, qui reverenter, & devotè Sanctiſſimum Viaticum comitantur. Quoniám non ſine ingenti animi noſtri mærore oculis propriis perſpeximus Sanctiſſimum Viaticum ad ægrotos deferri ut plurimùm ſine virorum comitatu taliter, ut vix, & cum difficultate reperiantur, qui cereos geſtent, haſtas baldacchini, & umbellam; ideo, ut tam deteſtabili irreligioſitati, quę infidelitatem ſapit, occurramus, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri omnes, & ſingulos in civitate degentes, obteſtamur, ne vereantur ad ſignum campanæ ad Parochialem accedere, & Sanctiſſimum Viaticum comitari; imò, ſi opus ſit, haſtas baldacchini, & umbellam deferre: Dedecet quippe Chriſtianum Catholicum, ut Chriſtus ſub ſpeciebus panis ad domos hominum cujuſcunque conditionis etiam viliſſimæ accedens, ſine debito, & religioſo comitatu incedat, permittere.

Hinc in qualibet Parochiali Eccleſia, ſi inſtituta non ſit Sodalitas Sanctiſſimi Sacramenti, ut quantò ociùs inſtituatur, curent omnino Parochi; ut ſaltem deficientibus aliis a Sodalibus Sanctiſſimum Viaticum aſſocietur. Interim, donec præfatæ Sodalitates inſtituantur, obligatos volumus Clericos, & Sacerdotes aggregatos ad deferendas haſtas baldacchini, & umbellam, quando ab Eccleſia, cui adſcripti ſunt, Sanctiſſimum

mum Viaticum exire contigerit: Populorum devotione, vel aliqua necessitate impellente si quando Panis Eucharisticus publicæ adorationi exponendus sit, id duntaxat fiat cum nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia, & non aliter. Ante solis ortum, & post occasum immediatè in Tabernaculo reponatur. Et, dum exponitur, duodecim ad minus faces in utroque Altaris latere continuè ardeant, & Altare ipsum decenti pompa, & apparatu ornetur. Ostensorium argenteum sit, vel saltem ære inaurato confectum cum lunula argentea inaurata, quod exponi debet sub baldachino sericis pannis subsuto. Quod si sive in Ecclesiis Regularium, sive Secularium, & Confraternitatum Sanctissimum Sacramentum publicè exponere quis audebit, Ecclesia interdicto supponatur per annum, & Sacerdos, qui exposuerit, pœnam suspensionis ipso facto incurrat per quatuor menses, non obstantibus quibuscunque licentiis Prædecessorum nostrorum, vel nostra ante hanc Synodalem constitutionem forsan obtentis voce, vel in scriptis, etiam prætextu consuetudinis.

Ad repellendas tempestates, seu, ut vulgò dicitur, *ad signandum tempus* non audeant Parochi Sanctissimum Sacramentum, vel Sacram Pyxidem e Ciborio extrahere; satis enim erit ostiolo Tabernaculi duntaxat aperto, & facibus accensis preces a Rituali Romano depromptas unà cum Populo ad id convocato perquam devotè recitare.

Processiones Sanctissimi Sacramenti, quæ fiunt in festo Corporis Christi, & ejus Octava laudamus, & approbamus; hortamur tamen illos, ad quos spectat, ut majori possibili pompa, & solemnitate curent, ut fiant: Clero scilicet præcedente cum suis vestibus, & facibus

censis, ac Populo numeroso per vias publicas comitante, necnon Ecclesia decenter ornata, & Altari decentissimè parato. Hoc tamen nostro Decreto prohibitas nolumus illas Processiones, quæ ex laudabili consuetudine circa ambitum cujusque Parochialis Ecclesiæ, seu circa exteriores muros quolibet mense fieri consuetum est.

CAPUT VI

De Sacrificio Missæ.

CUm quilibet Catholicus ex præcepto Ecclesiæ singulis diebus festis Missam audire teneatur, dummodo ad annos discretionis pervenerit; mandamus Parochis, ut Populo explicent hujus Sacrificii incruenti excellentiam virtutum, & fructus, necnon doceant Parentes, & Dominos, ut filios, & famulos utriusque sexus huic Missæ Sacrificio interesse compellant. Sciantque nequaquam apud Deum excusari, qui missam audire detrectant ex motivo, quod vestes, & ornamenta non habent adeo polita, & concinna, sicut alii, & aliæ. Pergere quippe debent ad Ecclesiam Fideles, non ut vestium decorem ostentent; imò potiùs, ut veluti ad Tribunal misericordiæ reverentes, corde contrito, & devoto remissionem impetrent peccatorum, & Divinæ gratiæ largitatem.

Interessentes sacrificio Missæ a confabulationibus, risu, strepitu, aliisque actibus indecoris prorsus abstineant; sed piè, & modestè utroque poplite flexo viri aperto capite, & mulieres velato pectore huic sacrificio assistant, & verba sacra attentè audiant, & meditentur.

Sacerdotes celebraturi; quia devotionis, & sanctitatis

ctitatis exemplum aliis præbere eos decet, Sacrificium hoc omni tam interna, quàm externa compositione peragere tenentur. Ad altare non accedant, nisi veste talari induti: ritus, cæremonias, cæteraque omnia ab Ecclesia præscripta apprime servent sub pœna aureorum duorum.

Sacræ vestes non sint sordidæ, & laceræ, sed decoræ, & mundæ, nec corporalia laventur a mulieribus. Dedecet porrò, quæ immediatè Christi corpus attigerunt, a mulieribus attrectari. Quare Sacristis strictè præcipimus, ut omnem diligentiam adhibeant in servando, & conservando vestes Sacerdotales, aliasque, quæ ad hunc usum deserviunt, ab omni indecentia, & sorde immunes.

Nullus Sacerdos primum Sacrificium faciat sine nostra, vel nostri Vicarii licentia, quam gratis obtinebunt prævia attestatione Magistri cæremoniarum, cujus erit inspicere, an sacros ritus, & cæremonias bene calleat. Si quis huic nostro decreto contraire præsumpserit, pœnam suspensionis a divinis ipsofacto incurret, cujus pœnæ absolutionem nobis reservamus.

Ad Missæ celebrationem non admittantur Sacerdotes exteri, nisi a nostra Curia celebrandi licentiam obtinuerint. Si secus factum fuerit, Sacrista, aut Sodalitatum Cappellani sciant se pœnam unius aurei incursuros pro qualibet vice, etiamsi præsentes non fuissent.

Quicunque Beneficia, & Cappellanias in nostra Cathedrali, aut in aliis Ecclesiis, & Sodalitatibus sive perpetuas, sive amovibiles obtinent, aut obtinuerint; minimè protrahant celebrationem Missarum ex pia fundatorum, reliquorumque fidelium dispositione certis, ac determinatis locis, Altaribus, & temporibus affixam, ut fundatorum, aliorumque disponentium voluntati fiat

satis. Quare prædictis in tali tempore, seu die Missas manuales recipere penitus interdicimus sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda.

In qualibet sacristia habeatur liber chartulatus, in quo Sacerdotes celebrantes nomen, & cognomen suum describant explicita causa celebrationis; an scilicet ex obligatione Beneficii, Cappellaniæ, Legati, Anniversarii, Funeris, vel similium. Præcipimus quapropter Sacristis majoribus, Sodalitatum Cappellanis, Rectoribus, aliisque, ad quos spectat, ut quolibet anno ad præscriptum statutorum hujus Diœcesis librum præfatum nostræ Curiæ inspiciendum præsentent, ut certi esse possimus de onerum Missarum impletione, aut de illorum, quibus onera prædicta implere incumbit *negligentiâ*.

Volumus insuper, ut in qualibet Sacristia juxta Decreta Sacræ Congregationis Concilii Interpretum sit exposita Tabella, in qua legantur distinctè descripta onera Ecclesiæ propriæ cum die, hebdomada, mense, anno, & Altari, in quo sunt adimplenda, cum *nominibus*, & cognominibus fundatorum, & disponentium.

Ante auroram, excepta nocte Nativitatis Domini, & post meridiem nullus Sacerdos celebret neque in oratoriis publicis, neque privatis, neque in qualibet Ecclesia.

Si ad Ecclesiam plures Sacerdotes eodem tempore accedant celebraturi, ut in omnibus ordo servetur; mandamus, ut Dignitates præferantur Canonicis, Canonici Abbatibus, Abbates Presbyteris Participantibus, Participantes Aggregatis, Aggregati verò reliquis aliis Sacerdotibus juxta cujuslibet ordinis ansianitatem; nisi aliter inter se convenerint.

Tem-

Tempore, quo Concio habetur, vel proximè habenda eſt, nullus Sacerdos audeat Miſſam inchoare ſub pœna unius aurei: quam pœnam pariter incurret Rector illius Eccleſiæ, in qua Concio habeatur, vel proximè habenda eſt. Reliqua Miſſarum celebrationem concernentia, ſtatuta, & decreta in Synodo tertia fel. rec. Epiſcopi de Matta anno 1681 habita tit. de celebratione Miſſarum Cap. 17 confirmamus, & laudamus.

CAPUT VII

De Sacramento Pœnitentiæ.

Sacramentum Pœnitentiæ, ſecunda poſt naufragium Tabula, relapſis eſt ad ſalutem neceſſarium, non minus, ac Baptiſmus nondum renatis. Quare, ut Pœnitentes in Sacramentali peccatorum Confeſſione remiſſionem conſequantur, ſingulis Dominicis Quadrageſimæ, & Adventus, inter Miſſarum ſolemnia doceāt Parochi ea, quæ ad dicti ſacramenti validitatem ſunt neceſſaria. Explicentque modum examinandi conſcientiā, dolorem requiſitum, propoſitum non peccandi de cætero, confeſſionem, & debitum implendi pœnitentiam a Confeſſario impoſitam juxta doctrinam Catechiſmi Romani. In illis autem Parochialibus, in quibus habentur Conciones tempore præfato, id præſtare poterunt Parochi diebus Dominicis occurrentibus inter Epiphaniam, & Quadrageſimam. Quamvis illi, qui uſum habent rationis ex præcepto Eccleſiæ ſemel ſaltem in anno ad Sacramentalem Confeſſionem teneantur, præcipuè tempore acceptabili Quadrageſimæ; Parochi nihilominus non negligant Parochianos ſuos hortari ad hujus Sacra-

cra-

cramenti frequentiam, & præsertim, dum lethali peccato se sentiunt gravatos, vel cum longum iter sunt arrepturi, aut tempore partus, vel in aliquo alio vitæ periculo sunt constituti; ne forte negligentes tam salutare remedium in peccato moriantur, & vitam amittant æternam.

Non callentibus nostræ sanctæ Fidei mysteria, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & præcepta tam Decalogi, quàm Ecclesiæ, absolutionis Sacramentalis beneficium non impertiantur, sed differant ad tempus; vel si pro prima vice absolvendos esse censuerint, promissionem saltem exigant, & accipiant ab ipsis prædicta addiscendi. Quod si interdicti redierint, ad hocce Sacramentum non admittant. Ut autem cum talibus opportunè providere valeamus, assignando ipsis aliquem magistrum, & directorem, nomina, & cognomina prædictorum Confessàrios nobis deferre non pigebit.

Manifestis peccatoribus, concubinariis, meretricibus, usurariis publicis, necnon in proxima occasione peccandi voluntariè constitutis absolutio prorsus denegetur; dummodo Confessariis spes emendationis eorum moraliter certa non affulgeat. Qui quidem Confessarii in injungenda pœnitentia nec minus indulgentes, nec multùm rigidi sint, oportet; ne indulgentia nimia conscientiæ relaxentur, & rigore indiscreto odibile reddant hoc Sacramentum tam necessarium, & salutare. Quare eos attendere decet ad peccatorum gravitatem, & ad dispositionem pœnitentium, ut cum fructu hoc Sacramentum valeant ministrare.

Nulli Sacerdoti sive Regulari, sive Seculari liceat Cōfessiones Sacramētales audire extra mortis articulū, nisi sit

Paro-

Parochus hujus Diœcesis, vel ad Cōfessiones audiēdas a Nobis prævio tamen examine licentiam obtinuerit. Si quis autem Sacerdos sine nostra licentia hoc Sacramentum ministrare ausus fuerit; sciat irritam esse absolutionem, & incidisse in pœnas a Summorum Pontificum Constitutionibus, & præsertim Clementis V, quæ incipit *In superna statutas*. Parochi verò post amissum, vel demissum Beneficium Parochiale, sicut & OEconomi pro audiendis Sacramētalibus Confessionibus nova indigent approbatione.

In privatis domibus, si excipiantur infirmi, in angulis, & locis remotioribus Ecclesiæ Sacramentales Confessiones minimè audiantur; sed publicè, id est in Sedibus Confessionalibus juxta morem compactis. Et, si quando occasione infirmitatis mulierum Confessiones sint suscipiendæ, Confessarii id præstent interposito præ manibus linteolo, & aperto cubiculi ostio, itaut a familiaribus, & consanguineis conspici possit, sed non audiri. Confessarii ad Sedem Confessionalem non accedant absque veste talari, superpelliceo, & Stola violacei coloris sub pœna trium ducatorum monetæ Neapolitanæ nostro Seminario applicandorum.

Meminerint omnes Confessarii severissimas pœnas inflictas sollicitantibus ad turpia in actu, vel paulò ante, vel paulò post, aut in loco Confessionis; sciantque teneri Pœnitentes ipsos, quos ab aliis sollicitatos noverint, obligare ad denunciandum sollicitantem Nobis, vel Vicario nostro Generali sub pœnis in Constitutione Gregoriana decretis.

Caveant Confessarii tam Seculares, quàm Regulares, nè fines concessæ jurisdictionis excedant absolvendo a peccatis Nobis reservatis sine nostra, vel nostri

ſtri Vicarii licentia, quovis Privilegio etiam *Maris magni*, aut *Cruciatæ* prætextu non obſtante, ut ſtatutum eſt per Conſtitutionem Clementis X incipientem *In ſuperna*. Et, ut Confeſsarii promptam Reſervatorum habeant notitiam, in qualibet Sede Confeſſionali apponantur duæ Tabulæ, & in una deſcribantur Caſus Bullæ in Cœna Domini, & in altera Caſus Nobis reſervati.

Caſus autem, quorum abſolutionem Nobis reſervamus, ſunt ſequentes.

Caſus, quibus eſt annexa Excommunicatio.

1 EXcommunicamus omnes exercentes Artem Magicam, Necromantiam, incantationes, ſortilegia, vel facturas cum expreſsa, vel tacita dæmonum invocatione, necnon faventes, conſulentes, auxilium præſtantes, ſcientes, & non revelantes.

2 Omnes abutentes Sacramentis, ſive Sacramentalibus ad veneficia, divinationes, ſortilegia, aut ad alium uſum, quàm fuerunt inſtituta, & ordinata, etiam non ſequuto effectu: necnon conſulentes, faventes, aut quovis modo conſentientes, vel cooperantes, ſcientes, & non revelantes.

3 Alloquentes cum Monialibus, ſive puellis in earum Monaſteriis degentibus ſine noſtra, vel Vicarii Generalis licentia. Item & illos, qui ſcienter ferunt, vel mittunt literas amatorias, vel qui ſub prætextu licentiæ habitæ de rebus obſcænis cum ipſis loquantur.

4 Moleſtantes Eccleſiaſticas Perſonas in bonis propriis, eaſque vi, vel metu, directè, aut indirectè, per ſe, vel per alios, compellentes ad mutuandum, conducendum, vel donandum bona mobilia, vel ſe moventia in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis ultra Caſus

Bullæ

Bullæ Cœnæ: necnon & consulentes, mandantes, exequentes, vel quomodolibet auxilium præstantes.

5 Decimas non solventes, vel quomodolibet fraudantes.

6 Abortum quomodolibet procurantes, etiam ante animationem fœtus, & non sequuto effectu.

7 Omnes in causa criminali, aut civili, vel in quacunque alia scriptura sive publica, sive privata in judicio, vel extra, etiamsi non intercedat juramentum expressum, cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponere curantes.

8 Notarios, Magistros actorum, Actuarios, Scribas &c. qui cum alterius partis offensione auctam, vel diminutam capiunt informationem, & sic dicta testium, vel principalium scribunt: sive acta, processus, & scripturas cum præfato gravi detrimento quomodocunque falsificant, aut ad similia consulunt, mandant, vel auxilium, aut favorem præstant. Item occupantes legata pia, & scripturas ad pias causas, & infra sex dies ad Curiam Episcopalem non restituentes, vel ab habita notitia non revelantes.

9 Eos, qui in Paschate non communicantes ab aliis dolosè accipiunt schedulas, quæ eo tempore distribui solent, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione: necnon et illos, qui easdem non communicantibus quomocunque in fraudem accomodant.

10 Confessarios, qui extra articulum mortis complices in rebus venereis (quod Deus avertat) audebunt absolvere, aut Pœnitentes in Confessione, vel occasione, & loco Confessionis sive paulò ante, sive immediatè post ad turpia sollicitaverint.

11 Parentes, Nutrices, aliosque, ad quos spectat, detinentes infantulos ante annum completum in proprio lectu-

lo abſque ſufficienti cautela, qua ſuffocationis periculum vitetur ſequuto effectu.

12 Sponſos, & ſponſas poſt contracta ſponſalia, & ante matrimonium legitimè celebratum carnalem inter ſe copulam habentes: necnon parentes, conſanguineos, & affines omnes eandem carnalem copulam, vel ſponſorum cohabitationem, & pernoctationem permittentes.

Caſus, quibus non eſt annexa Excommunicatio.

13 Blaſphemantes Deum, Jeſum Chriſtum, aut Beatam Virginem Mariam etiam pro prima vice cum advertentia rationis; reliquos verò Sanctos ex pravo habitu, & coram pluribus ſupra quatuor.

14 Committentes homicidium voluntarium ex propoſito. Item mandantes, conſulentes, vel auxilium præſtantes ſecuto effectu.

15 Comittentes peccatum ſodomiæ perfectæ, beſtialitatis, & inceſtus in primo, & ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus, aut affinitate ſpirituali conjunctis; ita tamen, ut mares tantùm afficiat.

16 Non adimplentes præceptum Paſchale.

17 Medici, qui viſitantes in lecto infirmos poſt tres dies a prima viſitatione, non curaverint certò ſcire; num prædicti infirmi peccata ſua Confeſſario confeſſi jam fuerint ſecundùm terminos Bullæ Pii V.

18 Non abſolvantur concubinarii, niſi facta reali ſeparatione tori, & domus, & per duos ſaltem menſes ſe continuerint.

19 Aperientes ex propoſito, vel occupantes alienas Epiſtolas ſive miſſivas, ſive reſponſivas, necnon libellos famoſos componentes, vel ſcribentes, vel publicantes, ſicut

&

& conſulentes, mandantes, auxilium, & favorem præſtantes.

Canonico tamen Pœnitentiario noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ab his caſibus nobis reſervatis, ſive cum annexa excommunicatione, ſive non, abſolvendi facultatem facimus, exceptis caſibus tertio, & quinto in ordine; cui Pœnitentiario ſuper irregularitate diſpenſandi, vota commutandi, & relaxandi juramenta facultatem nequaquam competere declaramus. Et inſuper Parochis tam Civitatis, quàm Diœceſis poteſtatem pariter impartimur abſolvendi a caſibus duodecimo, & tertiodecimo duntaxat.

C A P U T VIII

De Sacramento Ordinis.

SAcramentum Ordinis ad multiplicandam, & conſervandam Eccleſiam ſanguine ſuo pretioſiſſimo fundatam Jeſus Chriſtus inſtituit; quapropter, qui ad Eccleſiaſticum Ordinem aſpirant, vitæ integritati, ac morum compoſitioni ſtudeant; qui enim res divinas ſunt tractaturi, ſpeciali indigent animi puritate. Ut autem hujus excellentiſſimæ dignitatis decus, & honor illibatè ſervetur, ſequentia ſtatuimus.

Quicunque Eccleſiaſticæ vitæ nomen dare deſiderat, Clericalem habitum geſtare non audeat, antequam initietur prima tonſura abſque noſtra licentia in ſcriptis obtinenda. Quæ quidem non concedetur, niſi illis duntaxat, qui intra annum ſunt clericandi; reliquis verò abſolutè negabitur. Quod, ſi quis non obſtante decreto cum habitu Clericali incedere auſus fuerit, pœnam carceris per menſem ſubibit, tradendus poſtea Curiæ ſeculari pro ulteriori competenti correctione.

 Nul-

Nullus legitima ætate ad præscriptum Concilii Tridentini non constitutus, excommunicatus, aut aliquo vitio occulto, vel canonico impedimento irretitus audeat fraudulenter ad Ordines percipiendos accedere sub pœnis ab eodem Concilio Tridentino, & sacris Canonibus statutis.

Inhærentes constitutioni fel. recor. Alexandri VII, & literis Sacræ Congregationis de ordine Venerabilis Servi Dei Innocentii Papæ XI mandamus illis, qui ad Sacros Ordines sunt promovendi, ut per integram hebdomadam ante ordinationem vacent spiritualibus exercitiis in loco, & sub directore a Nobis assignando, & cum cæteris aliis requisitis exhibere teneantur in nostra Curia literas testimoniales prædictorum spiritualium exercitiorum; aliter ab Ordinibus sacris suscipiendis arcebuntur.

Ut autem in constituendis Clericorum patrimoniis omnis fraus, deceptio, & [illegible]es vitentur; strictè præcipimus, et ordinamus promovendis ad Ordines ad titulum Patrimonii, ut Parochis exhibeant notulam bonorum illorum, quibus constituendum est Patrimonium. Qui quidem Parochi die festivo inter Missarum Solemnia populo publicent bona præfata Patrimonio supponenda cum suis qualitatibus, cohærentiis, & confinibus; itaut quilibet percipere valeat, a quibus, & super quibus bonis Patrimonium sit constituendum, & populum admoneant, ut revelet, si noverit prædicta bona publicata alicui contractui; obligationi; hypothecæ; censui, livello, vel cuicunque oneri esse obnoxia; sive aliquo pacto affecta intra terminum dierum octo proximè decurrendorum, quibus elapsis solitum dent testimonium publicationis jam factæ in nostra Curia unà cum notitiis illis, quas fortè habuerunt ab illis, qui præsentes fuerunt præfatę publicationi.

Cancellarius autem nostræ Curiæ Episcopalis consimilem notulam sua subscriptione munitam expediat affigendam per

per Parochos in valvis ſuæ Parochialis Eccleſiæ per dies octo. Et cum debita relatione affixionis, & defixionis ad Curiam remittatur, ut omnibus Patrimonium conſtituendum innoteſcat, & nemo ignorantiæ cauſam valeat allegare.

Illa verò bona in Patrimonium deſtinanda, quæ certa eſſe debent, libera, & fructifera, quorum annuus redditus ſit ducatorum triginta monetæ Neapolitanæ; appretientur per duos Peritos eligendos a Curia noſtra, qui cum aliquo alio bene inſtructo inveſtigent fines, v3. confines prædictorum bonorum, necnon annuum redditum eorundem perquàm diligenter, & accuratè.

Si porro ſic urgente neceſſitate conſtituendum erit Patrimonium ſuper annuis cenſibus, volumus, ut, ſi accidat cenſus prædictos redimi, ſors, ſeu capitale apud Eccleſiaſticam perſonam a Nobis deputandam, vel in arca ſacra noſtræ Cathedralis Eccleſiæ depoſitetur ad finem illud applicandi in emptione aliorum bonorum frugiferorum, vel annuorum redituum: quæ utpote patrimonialia gaudere debent omnibus privilegiis, franchigiis, & exemptionibus, quibus fruebantur bona illa, vel cenſus, ſuper quibus fuit primò conſtitutum Patrimonium.

Fictum, & ementitum Patrimonium exhibentes, paciſcentes, nempe inter conſtituentem, ſeu donantem, & recipientem de non petendo fructus Patrimonii, vel de retrovendendo bona data, vel donata, ut conſtituatur Patrimonium; pœnas a ſacris Canonibus inflictas per Sacrum Concilium Tridentinum renovatas ipſo facto incurrant.

Circa Clericos alterius Diœceſis, qui titulo Beneficii in noſtra Diœceſi obtenti, originis, domicilii, ſeu familiaritatis petunt ad Clericalem militiam, & Ordines promoveri, in omnibus ſervetur Bulla fel. record. Innocentii XII, quæ incipit *Speculatores*.

Re-

Regulares ſine literis ſuorum Superiorum, & teſtimonio publico Ordinationis non habendæ a proprio Epiſcopo, ad Ordinationes non accedant. Et qui cum noſtris literis dimiſſorialibus ab alio Epiſcopo fuit ordinatus, Bullas Ordinum ſuſceptorum intra menſem a die Ordinationis computandum exhibere teneatur Cancellario noſtro, qui in libro deſtinato Bullas præfatas notabit ſub pœna arbitrio noſtro.

Requiſita autem, quæ quilibet promovendus exhibere debet in noſtra Curia pro quolibet ordine ſuſcipiendo, in calce hujus Synodi apponatur.

Volumus demum, ut noſtri Examinatores Synodales in Ordinandorum examine aliquod hujus Synodi Capitulum declarandum tradant illis, qui minoribus Ordinibus ſunt initiandi; aſcenſuros verò ad ſacros Ordines examinent pariter ſuper contentis in præfata Synodo eo potiſſimùm fine, ut quilibet faciliùs leges Synodales addiſcat, & exequatur.

C A P U T IX

De Sacramento Extremæ Unctionis.

SAcramentum Extremæ Unctionis, quod ex Divina Inſtitutione ſaluti tam animæ, quàm corporis prodeſſe credimus a ſolis Parochis, vel ab aliis cum prædictorum expreſſa licentia miniſtrandum eſt. Idcirco caveant Sacerdotes non Parochi, ne illud miniſtrent; aliàs ſciant pœnas per Sacros Canones ſtatutas incurriſſe.

Sacrum Oleum Infirmorum in omnibus Parœciis aſſervetur cum Sacro Chriſmate, & Oleo Catechumenorum omni diligentia, & cautela in feneſtrella in cornu Euangelii Altaris majoris in parte interiori lineo, vel ſerico panno ſubſuta, & in parte exteriori cum inſcriptione *OLEA SACRA.*

Quos

Quos in periculo mortis Parochus viderit, vel sciverit esse constitutos Oleo Sancto perungere non differat ad formam in Rituali Romano praescriptam: & praedictum Rituale consulat, ut sciat unctiones praetermittendas in feminis, & quae servanda sunt in ungendo Sacerdotes, & quomodo se gerere debeat in mutilatis. Quod si culpa, vel negligentia Parochi aliquem de hac vita migrare contigerit sine Extrema Unctione, poena decem ducatorum mulctabitur.

Curent Parochi, ut suscepturi Extremam Unctionem Sacramentis Poenitentiae, vel Eucharistiae priùs muniantur, ut hujus Sacramenti effectum principaliorem percipiant.

Excludantur ab hac Extrema Unctione omnino impoenitentes in peccato mortali manifestò existentes, excommunicati: necnon illi, qui usum rationis non habent, & perpetuò amentes; illi verò, qui lucida habent intervalla, non sunt privandi hoc Sacramento.

Habeat Parochus nostrae Cathedralis Ecclesiae librum bene compactum, in quo notet diem, mensem, annum, & nomina illorum, qui sumunt quotannis Sacra Olea, quae danda non sunt, nisi de nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia. Quae quidem Olea non tradantur, nisi Parochis illarum Ecclesiarum, in quibus debet asservari, vel alicui Sacerdoti cum literis Parochi. Regularibus detur solum Oleum infirmorum, sicut & Monialibus in Regularium praedictorum, & Monialium duntaxat usu.

Dum ad infirmos defertur Sanctum Oleum, Parochus incedat indutus superpelliceo, & stola violacei coloris cum Clerico cereum deferente, & vasculo argenteo, vel ad minus stamneo intra thecam, seu bursam sericam ejusdem coloris, quae longiores habeat cordulas, ut commodè, & collo suo pendere valeat; si autem contingat simul cum Sanctissimo Viatico ob imminens mortis periculum ad infirmum deferri,

priùs

priùs ægrotum communicet, & postea ungat: & gossipium, quo manus abstersit, secum transferat ad Ecclesiam de more comburendum.

In eadem infirmitate Extrema Unctio non est iteranda; poterit tamen, & debebit iterari in casu, quo ægrotus convaluerit, & denuo in mortis periculo constituatur.

Parochus ægrotum jam unctum non derelinquat, sed ipsum soletur, & adjuvet ad piè moriendum, ipsum hortando ad actus fidei, spei, charitatis, & contritionis eliciendos, & animam ejusdem commendet precibus illis, quæ a Rituali Romano præscribuntur: & inhærendo Statutis Parochialium Ecclesiarum hujus nostræ Civitatis, & Diœcesis præcipimus, & mandamus Presbyteris Participantibus, & Aggregatis, ut in commendatione animæ ægroti proprium Parochum adjuvent, & opitulentur.

CAPUT X

De Sacramento Matrimonii.

MAtrimonium a mundi initio, velut vinculum ad officium naturæ a Deo institutum, & a Jesu Christo ad excellentiam Sacramenti elevatum, gratiam confert sanctificantem, prout fides Catholica docet. Ut autem rite, & validè celebretur juxta Sacros Canones, & Sac. Concil. Trid. infrascripta observari mandamus.

Moneant Parochi populum de sanctitate, efficacia, & gravitate hujus sacramenti, ut in Matrimonium copulandi, antequàm ad benedictionem accedant, præmissa Sacramentali Confessione Pane Eucharistico reficiantur, ut Sacramentalem gratiam percipiant, reliquosque hujus Sacramenti fructus. Clãdestina Matrimonia jam a Sancta Tridentina Synodo damna-

ta,

ta, & Nos reprobamus, & damnamus, & pœnas jam statutas sic contrahentibus indicimus, aliasque pro arbitrio nostro, quas incurret Parochus culpabiliter Matrimonio clandestino assistens.

Nullum Matrimonium celebretur, nisi completis tribus denunciationibus in propriis Parœciis sponsorum: & inter unam, & aliam denunciationem duo, aut tres dies ad minus intercedant, ut impedimenta, si quæ essent, commodiùs innotescant. Volumus tamen, si post denunciationes jam completas sit elapsum bimestre, præfatas denunciationes denuo fieri debere; nisi aliter Nobis videbitur.

Non, nisi in Parochiali Ecclesia, Matrimonium contrahatur coram proprio Parocho, & duobus, vel tribus testibus, & post Solis ortum: quo tempore Sacro celebrando contrahentes devotè adsint, & juxta sacros ritus Sacerdotali benedictione donentur; dummodo non sint secundò nubentes, cum quibus servanda sunt ea, quæ in Rituali Romano perscribuntur.

Vetitis verò ab Ecclesia temporibus sine nostra dispensatione Matrimonium nequaquam celebretur, &, si dispensationem contrahentes obtinuerint, contrahere poterint, sine tamen solemnitatibus nuptialibus, quas adimplere teneantur immediatè post elapsum tempus prædictum. In exterorum Matrimoniis contrahendis nostra Episcopalis Curia omnino servet instructiones ad hunc effectum datas a Sacra Congregatione Universalis Inquisitionis in fine hujus Synodi apponendas.

Accessum sponsi ad domum sponsæ, & contrà tam paulò ante, quàm post denunciationes penitus prohibemus sub pœna viginti librarum ceræ albæ elaboratæ piis usibus applicanda. Quia autem error invaluit inter rudes, ac obscuræ prosapiæ homines licitam esse copulam inter sponsum, & sponsam de futuro: adeoque non incidere in sextum

Decalogi Præceptum; hunc errorem hæresim sapientem prorsus eliminare volentes declaramus, notumque facimus omnibus, & singulis in hac nostra Civitate, & Diœcesi degentibus illicitam esse copulam inter prædictos, antequàm Matrimonium coram Ecclesia contrahant.

Et, quoniam ex tali erronea conscientia nonnulla inconvenientia accidisse comperimus; præfatam copulam expresse prohibemus sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, & Nobis reservata. Mandamus autem Parochis, ut Nobis notificent, an sponsi, & sponsæ de futuro huic Synodali Constitutioni contraiverint, ut ad pœnam statutam, eosque obligare valeamus. Quibus Parochis facultatem facimus examinandi etiam cum juramento vicinos, & vicinas, ut inter præfatos sponsos de futuro scire valeant, an commercium intercesserit. Quod si accessum inter prædictos intercessisse sciverint, in calce fidei publicationum exprimant.

In libro ad hoc destinato, & bene compacto celebrata Matrimonia cum die, mense, anno, loco contractus, contrahentium patria, cognominibus eorundem, & testibus, qui Matrimonio interfuerunt, propria manu Parochi clarè, & distinctè describantur. Quod si Parochus negligens deprehensus fuerit, pœna decem ducatorum mulctabitur.

Qui Parochum dolosè, & fraudulenter ad assistendum matrimonio impellunt; excommunicationem ipso facto incurrant.

Si ignotus quis in alicujus Parœcia n advenerit, & mulierem secum duxerit, insimulque habitet, & vivat sub prætextu conjugii, cura erit Parochorum ab illis fidem

dem

dem veri conjugii intra tres dies petere,& excipere;aliàs Nos certiores faciāt,ut opportunè providere valeamus.

CAPUT XI

De Parochis, & Parochialibus Ecclesiis.

LIcèt Capitibus præcedentibus multa de Parochis dixerimus; quia tamen nonnulla ad populorum utilitatem, & Ecclesiarum decorem remanent explicanda; sequentia ipsis commonenda censuimus.

Apud se Parochi has nostras Constitutiones, & Prædecessorum nostrorum Statuta retineant, & perlegant. Vacent studio Concilii Tridentini, Catechismi, Rituali Romani, Sacræ Scripturæ, aliorumque librorum, qui de meditationibus, juvandis infirmis, & casibus conscientiæ tractant. Sacras functiones ea, qua decet, reverentia, & attentione peragant, quantum fieri poterit: in Ecclesia Parochiali, aut domi se contineant, ut postulantibus Sacramenta promptè succurrere possint. Fugiant fora, & Secularium commessationes, ut gravitate morum, & virtutum ornamento ad sui, cæterorumq; Ecclesiasticorum venerationem populum excitare valeant. Quotannis Statum animarum suę Parœciæ tempore Paschatis perficiant, & authenticam Copiam illius Curiæ nostræ Episcopali tradant.

Notent distinctè personas, quæ præceptum Paschale non adimpleverunt, ut contra contumaces juris, & facti remediis opportunis procedere possimus.

Neminem admittant ad exorcizandum Energumenos absque nostra licentia sub pœna trium ducatorum Regni infallibiliter exigenda tam ab ipsis Parochis,

quàm ab Exorcizantibus ſine licentia.

Sedulò invigilent,an in ſuis reſpectivè Parœciis habitent publici peccatores, meretrices, adulteri, concubinarii, ſortilegi, blaſphemi, uſurarii, & alii hujus conditionis perditi homines. Quos autem compererint, ſemel, ac iterum paternè admoneant,&, ſi correctione non reſipuerint, ad Nos referant, contra quos ad Sacrorum Canonum præſcriptum prorsus procedemus.

Requiſiti ad condenda infirmorum teſtamenta, ſciant id poſse per ſeipſos præſtare in mortis articulo ad pias cauſas cum præſentia duorum, vel trium teſtium ad formam juris Canonici. Et quamvis Juriſperitorum opinio invaluerit ſuſtineri teſtamentum ad pias cauſas etiam ſine teſtibus, ſi manu teſtatoris fuerit obſignatum; nihilominus eoſdem hortamur, ut in prædictis teſtamentis condendis Juri Canonico ſe accommodent.

Intra propriam Parochiam inhabitent,& quantum fieri poterit prope Parochialem Eccleſiam, ut indigentibus ſint obvii; Archipresbyter tamen noſtræ Cathedralis Eccleſiæ,vel ſaltem ejus Oeconomus cubicula ad hunc effectum a Nobis conſtructa omnino habitet.

Parochorum erit teſtimonium præbere de ſervitio præſtito Eccleſiæ de frequentia Sacramentorum, de aſſociatione Venerabilis, de exercitio Doctrinæ Chriſtianæ, de vita, & moribus promovendorum ad Ordines. Idcirco eoſdem hortamur in Domino, & monemus, ut in hoc, ſicut & in aliis fideliter, charitativè, & cum zelo ſe gerant; aliàs ultra reatum, quem coram Deo contrahent,pœnis pro arbitrio noſtro mulctabuntur.

Singulis diebus feſtis Doctrinam Chriſtianam populum doceant juxtà morem hujus Civitatis, & Diœceſis,

ceſis, & Clerici Eccleſiæ Parochiali addicti taliter Doctrinæ Chriſtianæ intereſſe teneantur, ut ſi quater, vel quinquies in anno negligentes, aut hujus Decreti tranſgreſſores comperti fuerint, ad ulteriores Ordines non promovebuntur. Monitos quoque volumus Presbyteros Participantes, & Aggregatos, ut in inſtruendis pueris de iis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, Parochum adjuvent, eique cooperentur. Parentibus inſuper, conſanguineis, aut puerorum, & puellarum educatoribus ſeriò injungimus ſub pœna interdicti ab Eccleſia per ſex menſes duraturi, ut hujuſmodi pueros, & puellas ad doctrinam Chriſtianam mittant, & ire compellant.

Quantum in Religione ſtabilienda, & augenda, tantum in ſuperſtitionibus, vaniſque obſervantiis eradicandis curæ, & diligentiæ Nos impendere decet. Cùm quidem ad noſtram notitiam pervenerit in medietate Quadrageſimæ pueros, & puellas functionibus quibuſdam vulgo dictis *le Maddalene*, & in feſto Sancti Johannis Baptiſtæ etiam mulieres ſive nubiles, ſive nuptas aliis abuſibus vocatis *Donne corone*, *e Cardi di San Giovanni* vacare; his corruptelis ſuperſtitionem, & vanitatem ſapientibus obviam ire volentes, prædictas functiones, & abuſus, hiſque conſimiles prorſus hoc noſtro Decreto prohibemus, & damnamus. Quare præcipimus Parochis, eorumque Oeconomis, ut, ſtatim ac hujuſmodi, ac ſimiles abuſus in præfatis diebus practicari compererint; Nos certiores faciant, ut in traſgreſſores, ſi ſint adulti, aut in parentes, ſi parvuli, animadvertamus. Volumus autem, ut hoc Decretum publicent per menſem ante, ſingulis diebus Dominicis inter Miſſarum ſolemnia populo, ut hic ſciat tales functiones eſſe prohibitas.

Ad

Ad comprimendam quorundam animi elationem, sive avaritiam, qui sub ementito paupertatis prætextu suorum defunctorum cadavera cum comitatu Capituli nostræ Cathedralis Ecclesiæ, aut Cleri Parochialium sine taxatis tenuissimis emolumentis ad Ecclesiam deferenda contendunt, aut, si verè pauperes sint, funebrem pompam ostentare: inhærendo Conclusioni Capitulari de die 26 Februarii 1720 habitæ, quam confirmamus & approbamus; volumus, & declaramus Capitulum nostræ Cathedralis, aliosque respectivè Cleros prorsus non teneri ad associandum defunctorum cadavera, quæ charitatis titulo sepulturæ demandantur. Satis quippe erit id præstare cum sola Oeconomi, aut Hebdomadarii assistentia. Hoc nihilominus Decreto prohibere non intendimus cuivis hujusce actus misericordiæ exercitium; sed duntaxat declarare Capitulum præfatum, & Cleros ex vi concordati initi inter Civitatem, & Cleros de anno 1669 sub die 21 Octobris ad id non teneri.

Cùm nobis nequaquam decere videatur defunctorum cadavera expletis exequiis in Ecclesia remanere exposita sine Cruce, & sine luce; Parochos monemus, & hortamur, ut cadavera nunquam exposita remanere permittant in Ecclesia sine Cruce, & duabus ad minus candelis accensis subministrandis ab hæredibus, vel consanguineis defuncti. Quod si præfati hæredes, aut defuncti consanguinei candelas ad hunc effectum tantùm subministrandas dare renuerint, vel non potuerint; ordinamus, quod cadaver reponatur in loco remotiori Ecclesiæ coopertum panno nigro, donec sepulturæ consignetur.

Statuta tam Ecclesiæ nostræ Cathedralis, quàm Parochialium sive Civitatis, sive Diœcesis authorita-

te

te nostri Prædecessoris firmata, & confirmata ad unguem observentur sub pœnis in illis adjectis, neque ulli licitum sit ea mutare, aut interpretari. Quod si aliquod dubium circa illorum intelligentiam irrepat, ad Nos pro explicatione recurratur.

Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & Clerici Ecclesiis, quibus sunt aggregati, vel adscripti fideliter serviant. Qui verò Sacerdotes nullam habent aggregationem in Parœciis, præsenti hoc nostro Decreto servitio nostræ Cathedralis Ecclesiæ adscribimus, & deputamus.

Strictè demum præcipimus, & mandamus Clericis servitio Ecclesiæ Cathedralis, vel Parochialis mancipatis, ut omni promptitudine, & diligentia in diebus festivis Ecclesiam sibi destinatam frequentent in serviendo Sacerdoti celebranti, & in aliis functionibus, quæ fiunt in eadem Ecclesia sub pœna rejectionis ab Ordinibus suscipiendis, aliisque ad arbitrium.

CAPUT XII

De Divinis Officiis, & Disciplina Chorali.

IN nostra Cathedrali, & Collegiatis Ecclesiis horis statutis juxta Tabellam horariam, signo campanæ præmisso laudes divinæ non cursim, & festinanter; sed attentè, devotè, cum debita pausa, & non, nisi cum habitibus choralibus, persolvantur. Ita tamen, ut differentia intercedat inter Officium solemne, duplex, & feriale.

Ex adscriptis servitio Chori nemini liceat, dum alii psallunt, aut cantant, privatim horas Canonicas recitare, aut clausum os habere, ne in die districtionis dicere

cēre compellatur : *Væ mihi , quia tacui* ; aliàs punctetur, & habeatur tanquam absens . Eandem pœnam incurrent illi , qui cum Officiis Divinis colloquia, risus, cachinnos miscere non erubescunt , aut literas, aut scripturas quascunque, seu libros legunt,& in hoc Punctatorum conscientiam strictè oneramus .

Pendeat in Sacristia Tabula , in qua descriptæ legantur functiones qualibet die , & a quibus peragendæ: cujus tabulæ conficiendæ cura in qualibet hebdomada ad Magistrum Cæremoniarum spectabit, ut quilibet certior factus de his , quæ ab ipso agenda sunt, paratus accedere queat.

Vitentur prorsus in Choro, Ecclesia , Sacristia , & Cœmeterio contentiones , jurgia , & verba aspera, quæ ad fraternam charitatem vel minuendam , vel extinguendam sunt apta . Et quilibet suo loco , & sorte contentus non se ingerat in his , quæ ad primum in ordine spectare dignoscuntur : contrafacientes pœna amissionis fructuum illius diei puniantur. Rectores autem Ecclesiarum non curantes , seu negligentes pœnam ab his exigere , eandem pœnam incurrere volumus . Quæ quidem pœnæ distribuantur inter Choro interessentes, hujus criminis nequaquam reos.

Nemo audeat in habitu Chorali in plateis Ecclesiarum morari , aut per vicinias incedere sub pœna ducatorum trium pro qualibet vice locis piis ad arbitrium Nostrum applicanda.

Qui demum vitæ sustentationem ab Ecclesiis recipiunt , lenti non sint , tardi , & frigidi ad Divinum servitium præstandum : cùm enim beneficium , & portiones propter officia dentur ; meminerint non inservientes fructus non facere suos.

Reli-

Reliqua ad Officiaturam, & Choralem disciplinam spectantia clarè, & distinctè in Statutis Ecclesiarum, quæ adamussim observari mandamus, præscripta leguntur.

CAPUT XIII
De Decimis.

Quoniam indignatio, & ira Dei manet super illos, qui Decimas Ecclesiasticas sive Sacramentales, sive prædiales, sive personales solvere detrectant, vel negligunt, aut differunt juxta illud Malachiæ cap. 3: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In Decimis, & in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis.* Et aliunde benedictionibus replentur decimas solventes eodem Propheta testante: *Inferte omnem Decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas Cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Idcirco, cùm Decimarum solutio debita sit Deo, Decretis S. Concilii Trid. Sess. 25 de Reform. Cap. 7 inhærentes; illis, qui ad Decimarum solutionem tenentur, seriò præcipimus, & mandamus, ut Decimas præfatas promptè, & alacriter præbere non dedignentur; aliàs anathemati supponentur.

Et quia Jura Divina, quorum ratione Decimæ Christi Ministris præbentur, priora sunt, & potiora; ut sint Deo acceptabiles, de primitiis Decimæ sunt contribuendæ, ut docet Chrysostomus Homil. 18 Cap. 4 Geneseos: *Respexit Deus ad munera Abel*; quia de primogenitis ovium suarum, & de pretiosissimis obtulit. Ad munera verò Cain non atendit; eoquod qualiacunque

G sine

ſine delectu Deo offerre *non eſt veritus*. Et Ambroſius l. 1 de Cain, & Abel cap. 7: *Cain primitias ſibi priùs vendicare ſolebat, Deo autem ſequentia deferre*. Hortamur quapropter in Domino illos, qui Decimas dare tenentur, ut de præcipuis, & melioribus, non de reſiduis, & vilioribus Deo bonorum omnium largitori ſatisfaciant.

Ut autem contra Decimas quaſcunque non ſolventes procedatur; Procuratoribus Eccleſiarum, Parochis, cæteriſque aliis, quibus Decimæ debentur, facultatem facimus eas exigendi ex primitiis meſſis, & vindemiæ etiam per vim, cum aſſiſtentia tamen Curiæ Laicalis: & eisdem mandamus, ut in fine meſſis, & vindemiæ reſpectivè dent Curiæ noſtræ nomina illorum, qui decimas non dederunt, ut in ſubſidium eoſdem excommunicare valeamus.

Pariter Dei indignationem incurrunt, qui in agris ſuis ſegatis ſegetibus pauperes ſpicas colligere non patiuntur. Eſt & hoc ſimiliter contra Divinum mandatum Levitici Cap. 23: *Poſtquàm autem meſſueritis ſegetem terræ veſtræ, non ſecabitis eam uſque ad ſolum: nec remanentes ſpicas colligetis, ſed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas. Ego ſum Dominus Deus veſter*. Ideo, ne tanti criminis fiant rei, monemus omnes, & hortamur in Domino, ut omni charitate, & manſuetudine pauperes, & peregrinos in agros proprios ſegatis ſegetibus, & recollectis manipulis ad ſpicilegium admittant.

CAPUT XIV

De Festorum, & Jejunii Observantia.

IN Festis diebus maximè decet orationibus, aliisque piis operibus vacare, Sacrificio Missæ, Concionibus, & Divinis officiis interesse. Nè autem his diebus ad recolenda beneficia a Deo accepta, eique grates rependendas salubriter institutis quis abutatur in perniciem; nundinas, mercatus, contractus quoslibet, collectarum, seu tallearum exactiones, agrorum, vinearum, & hortorum culturam, necnon quævis opera servilia prohibemus.

Prohibemus insuper publicos ludos quoscunque, choreas, tripudia, larvas, saltationes, & cantilenas, quæ vulgò vocantur *Serenate*, post mediam noctem antecedentem diem festum usque mediam noctem subsequentem. Experientia quippe compertum est præfata nequaquam fieri sine piorum scandalo, contentionibus, & rixis, & Dei offensa.

Permittimus nihilominus vendi posse comestibilia; januis tamen officinarum clausis, & sine publicitate, ostiolo duntaxat aperto: sicut & urgente necessitate tempore messis, & vindemiarum blada, & uvas asportare, & aliquid operari; licentia tamen Nobis petita, & obtenta: quæ quidem gratis concedetur.

Quod si quis contra hæc sancita facere præsumpserit, pœna duorum ducatorum Seminario applicandorum, & in subsidium privatione ab ingressu Ecclesiæ per tres menses pro qualibet vice sine spe veniæ mulctetur.

Parochi inter Missarum solemnia suo populo jejunia, & festa de præcepto inter hebdomadam occurren-

tia,ſive mobilia ſint, ſive immobilia, promulgent. Eundemque doceant tam feſtum, quàm jejunium incipere a media nocte præcedentis diei uſque ad mediam noctem ſequentis: necnon inculcent exactam,& rigoroſam jejuniorum obſervantiam; quæ maximè confert ad vitia comprimenda, & ad levandam mentem ad Deum.

A feria quarta Cinerum uſque ad Feſtum Paſchatis ceſſent comœdiæ, tripudia, ludi, ſoni, cantus, aliaque ad morum licentiam conferentia: quæque animarum ſaluti maximè obſunt; ſecus facientes pœnam decem librarum ceræ albæ elaboratæ incurrent.

CAPUT XV

De Vitá, & Honeſtate Clericorum.

HOrtamur, & monemus omnes, & ſingulos Eccleſiaſticos, ut in inceſſu, ſtatu, habitu, & moribus ſuis ſic ſe gerant, ut nihil faciant, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod eorum duntaxat deceat ſanctitatem. Et, cùm non veſtibus placere debeant, ſed moribus; ipſis ſeriò præcipimus, ut præſertim, dum ad divina peragenda accedunt,nonniſi cum veſte talari incedant. Quare uſum faldiliarum taliter diſceſſarum,ut veſtes interiores, quas nonniſi nigri, aut fuſci coloris eſſe volumus, appareant, prorſus interdicimus ſub pœna trium librarum ceræ albæ elaboratæ Seminario applicanda.

Torques aureas ipſis geſtare non liceat; iis tamen exceptis, qui ex dignitate præditi ſunt, in cujus collatione anulus traditur. Quem deponere tenentur, dum Sacrum faciunt, niſi Prælati ſint.

Do-

Domi vinum vendere, aut compotandi locum aperire, ad rixas vitandas, quæ non raró ex ebrietate oriri solent, quæque Clericalem polluunt dignitatem, Ecclesiasticis interdicimus. Illos tamen excipimus, qui proprias vineas habent, aut mustum ex Decimis percipiunt, quibus licitum erit vinum venum exponere, seu dare; nunquam tamen per seipsos, sed per manus secularium.

Insuper negotiationibus illicitis, & cujuscunque generis mercimoniis vacare non præsumant. Dedecet quippe Deo militantibus negotiis secularibus se implicare.

Nuptiarum evitent convivia, & non intersint; in his ut plurimùm amatoria cantantur, & saltibus, ac choreis vacatur, ne spectaculorum, aut verborum contagione polluantur.

Ab alearum, & taxillorum ludis, & præsertim in publico, clamorosis venationibus, nec non profanorum librorum lectione penitus abstineant; imò potiùs studio Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, & Conciliorum, Rubricarum Missalis, & Breviarii, & demum Moralis Theologiæ se dedant. Quapropter ordinamus, ut præter Breviarium quilibet Biblia Sacra, Catechismum Romanum, aliquam Summam ex probatioribus Moralem, nec non unum, vel alterum librum ad mores reformandos, vitamque spiritualem informandam aptum habeat, & perlegat.

Memores demum sint Sacerdotes venerandæ dignitatis, qua vi characteris decorantur. Unde sciant prorsus dedecere ante laicos etiam in dignitate constitutos tecto capite sedentes, eos aperto capite stare; cùm quippe Sacerdotalis dignitas reliquas præcellat, taliter se gerere debent, ut ejusdem excellentiam, & prælatio-

nem

nem modestè ostentent, & tueantur.

CAPUT XVI

De Monialibus.

MOniales, quæ per ingressum in Monasterium; mundo, ejusque pompis abrenuntiarunt, & per regularem professionem se totaliter Deo dicarunt; ea, quæ Iesu Christi sunt, solummodo quærant, oportet, non quæ mundi. Quare, ut tam sanctæ vacationi respondeant, vanitates quaslibet, & quæ profanum sapiunt, execrari debent: necnon divinarum rerum contemplationi, orationibus, jejuniis, cæterisquè carnis mortificationibus vacare eas decet.

Ut autem sanctum propositum illibatè servent; & a divino servitio distractionis quælibet tollatur occasio; frequentem accessum ad collocutorium ipsis prohibemus: nec vocata ad ipsum ire præsumat sine licentia, & benedictione Abbatissæ, præsentibusque auscultatricibus ad id deputatis. Ad quod munus eligantur Moniales provectæ ætatis, prudentes, & quas vitæ probitas, Religionisque zelus commendat.

Accedentes ad Monasterium, Moniales sive professas, sive novitias, sive puellas educationis gratia ibi degentes, alloqui non præsumant sine expressa nostra licentia in scriptis obtenta sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, cujus absolutionem Nobis reservamus. Quas quidem licentias ab Abbatissa diligenter servari volumus, ut de his, qui Moniales alloquuntur, Nobis rationem reddere queant. Quod si hac non obstante Constitutione allocutiones hujusmodi permit-

mittere auſa fuerit, aut requiſita licentias non oſtenderit, pœnæ privationis officii, & inhabilitatis ad idem ſubjaceat.

Auſcultatrices verò, quæ vel allocutionibus intereſſe neglexerint, vel illas ſine licentia permiſerint, pro prima, & ſecunda vice per menſem velo priventur: pro tertia verò vice utriuſque vocis privationem per triennium ſe noverint incurriſſe.

Ianua clauſuræ in parte interiori duas habeat claves, quibus de nocte claudatur, quarum una ſit penes Abbatiſſam, altera apud Ianitricem. Cùm verò opus fuerit eandem de die aperire ad introducendum, vel aliquid a Monaſterio extrahendum, ſive quavis alia cauſa neceſſaria per Abbatiſſam approbanda; non audeant Moniales eò accedere, ut externum quodque aſpiciant, vel cum aliquo ſive viro, ſive femina colloquantur ſub pœna privationis veli pro qualibet vice per menſem.

Prohibemus inſuper Monialibus, ne literas cuiquam ſcribant, vel ad ſe miſſas aperiant, aut legant ſine licentia, & ſcitu Abbatiſſæ, quæ prius eas legere teneatur, antequàm de Monaſterio exeant, aut ad manus Monialium, ad quas ſunt directæ, perveniant; exceptis tamen literis illis, quæ ad Superiorem, ſi de aliqua re gravi admonendus eſſet, mittuntur, aut a Superiore ad aliquam Monialem diriguntur. Huic legi contravenientes per menſem ſingulis ſextis feriis in pane, & aqua jejunare cogantur.

Pueri, etiam ſi ad annos diſcretionis non pervenerint, in Clauſuram non admittantur: & introducentes, & Abbatiſſa ingreſſum permittens pœnam excommunicationis ipſo facto incurrent.

Ab-

Abbatissa, quæ Monialium mater est, suas in Christo filias admoneat, ut ad votorum observantiam, & perfectionis statum totis viribus contendant. Curet, ut pax, & concordia servetur in Monasterio: quo vinculo charitatis colligatæ sit in Monialibus sibi subditis anima una, & cor unum in Deo. Sedulò invigilet, ut horis statutis, post prandium scilicet, & cœnam in Monasterio, semper tamen in Refectorio, & in Choro, dum officium non recitatur, silentium servetur, & subministrentur ægrotis necessaria ad præscriptum Medici.

Moniales vice versa Abbatissam tanquam Matrem venerentur, ejusque mandata tanquam leges recipiendo in omnibus eidem pareant. Quod si in aliquo gravatas se sentiant, absque strepitu Superiorem consulant, cujus erit inspicere, an mandatum sit rationabile, an non.

Ut paupertatis votum sarctum tectum servetur juxta præscriptum Sac. Concil. Trid. Sess. 25 *de Regularibus, & Monialibus*, Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum Sacræ Congregationis super *Disciplina Regularium*; declaramus penitus licitum non esse Monialibus res pretiosas, & pecunias quomodolibet, & quovis titulo ipsis obvenientes apud se retinere; sed intra viginti quatuor horarum spatium eas consignare debere depositariis Monasterii, ut cum licentia Abbatissæ impendantur pro necessariis ejusdem Monialis, vel etiam Monasterii usibus, si opus fuerit, & Nobis videbitur. Quare Procuratori Monasterii, si sit Sacerdos, sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda, & Nobis reservata; si verò sit Clericus, aut Secularis, sub pœna amissionis officii, & aliis arbitrio nostro, mandamus, ne audeant pecunias Monialibus subministrare sub

quo-

sub quovis colore, aut prætextu, sed teneatur in specie præbere necessaria juxta solitum Monasterii. Et sub eadem pœna ad id teneri volumus etiam Cellarariam Monasterii.

Et quantum ad opera manuum earundem Monialium, si ea vendi contigerit, id præstare teneatur Abbatissa; vel aliqua Monialis ab eadem Abbatissa deputata, quæ pretium intra spatium viginti quatuor horarum consignare debet Depositariis Monasterii, impendendum pro necessariis Monialis illius, cujus sit opus, vel Monasterii. Quod si hæc nostra Decreta paupertatis votum concernentia aliqua Monialis debitæ observantiæ non mandare ausa fuerit; sciat pœnas in proprietarios latas incurrisse.

Examinato, & accuratè discusso statu Oeconomico Monasterii cum Deputatis ejusdem, & Protectore comperimus annuos redditus vix correspondere expensis, & oneribus illius. Quapropter indemnitati ejusdem, quantùm fieri potest, consulere volentes decernimus, quod in posterum nulla Novitia, quæ civis sit, admittatur ad Professionem, nisi soluta prius dote ducatorum tercentum, & cum necessariis cautelis pro livello, sive annuo vitalitio ducatorum quinque.

Advena verò non recipiatur, nisi cum dote ducatorum centum; & ad Professionem non admittatur, nisi dote soluta; ita tamen, ut annuum vitalitium ducatorum quinque ei non subministretur a Monasterio, sed a suis parentibus, qui similiter cautelas dare teneantur, & assicurationes de solvendo Monasterio pro vitalitio Monialis sua vita durante ducatos quinque ad minus; ad hoc, ut ex dicta annua corresponsione, & propriis laboribus Monialium Monasterium possit ipsas commodè alere, & de tunicis, aliisque necessariis providere.

Cætera disposita in secunda Synodo Mattæ regimen

Monialium concernentia innovamus, & confirmamus.

CAPUT XVII.

De Seminario.

SAcrosanta Tridentina Synodus Clericorum Seminaria institui decrevit, ut facile sit Episcopis eos eligere, qui doctrina præditi, & moribus probati Ecclesiis præficiantur. Quem finem, ut assequamur, regulas a Prædecessoribus nostris præscriptas, & a Nobis recognitas adamussim ab omnibus in Seminario degentibus observatas volumus.

Qui in nostro Seminario tanquam Alumnus admittendus est, debet esse Diœcesanus, & talis expectativæ, ut in virtutibus, & literis sit profecturus, & utilis Ecclesiæ. Sit de legitimo matrimonio, & honestis parentibus procreatus, & duodecimo ætatis anno constitutus, & non infra, neque supra decimum octavum: sciat legere, & scribere, & Sacerdoti celebranti inservire.

Alumnis, & Convictoribus extra Seminarium pernoctare non liceat absque nostra licentia.

Cùm ad proprias domos tempore feriarum autumnalium remeant, in quolibet die Dominico Sacramentaliter confiteri, & Communicare teneantur: & non recipiantur completis feriis autumnalibus a Rectore Seminarii, nisi testimonium præbeant Parochi sui in scriptis statutis diebus Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ frequentasse, & modestè vixisse.

Tempore bacchanalium Alumnis, & Convictoribus ad proprias domos redire prohibemus sub pœna ejectionis a Seminario.

Abstineant a confabulationibus, & inanibus colloquiis, dum

dum Choro assistunt; aliàs pro nostro arbitrio punientur. Cæterùm singula in Statutis ejusdem Seminarii a dignissimo Prædecessore nostro ordinata observari mandamus.

CAPUT XVIII

De Confraternitatibus Laicorum.

Singuli ad aliquam Confraternitatem, seu Laicorum societatem adscripti festis diebus ad Oratorium convenire, Officium Beatissimæ Mariæ Virginis, aliasque preces de more recitare, & semel ad minus in mense in eodem Oratorio Pœnitentiæ, ut Eucharistiæ Sacramentis se munire teneantur; aliàs a Catalogo Confratrum delebuntur, si per tres vices ad Oratorium accedere neglexerint, aut non Communicaverint.

Dum sunt in Oratorio, aut ejusdem sacristia a profanis colloquiis, rixis, & contentionibus prorsus abstineant; imò piè, ac devotè pietatis munera peragere satagant.

In qualibet sacristia Confraternitatum pendeat Tabella, in qua nomina, & cognomina eorundem Confratrum describantur taliter, ut neminem ad vocem tam activam, quàm passivam in congressibus admittere audeant, nisi descriptus conspiciatur in præfata Tabella.

Adsit insuper in eadem sacristia altera Tabella, in qua notata legantur legata pia, & eorundem onera cum nomine, & cognomine Benefactoris, & Notarii: necnon cum die, & anno rogitus. Mandantes, ut onera legatorum debito tempore adimpleantur ab illis, ad quos spectat; & requisiti docere concludenter valeant de prædictorum onerum impletione. Quod si onera præfata in Missis celebrandis consistent, volumus, ut laudati Confratres librum habeant, in

quo Sacerdotes pro dictis oneribus celebrantes distinctè, sicut dictum est de aliis Ecclesiis, subscribant.

Inhærentes Constitutioni Innocentianæ, & Decretis Sacræ Congregationis Concilii non audeant nova perpetua onera Missarum acceptare sine nostra, vel nostræ Curiæ licentia in scriptis obtenta sub pœnis in ejusdem Constitutione, & Decretis statutis.

In Dominicis, & festis diebus tempore, quo Missa Parochialis celebratur, inhibemus Sacri celebrationem in prædictis Oratoriis, ut Parochiani a proprio Parocho audiant, quæ ad eorum salutem spiritualem conferre tenebuntur; aliter Ecclesia interdicto supponetur.

Ad Officialium electionem tempore statuto non deveniatur, nisi cum interventu nostri Vicarii in Civitate, & Archipresbyteri in Diœcesi, & electionem fieri debere per secreta suffragia, & non aliter, volumus, et mandamus sub pœna nullitatis actus.

Qui demum debitores sunt Confraternitati, aut suæ administrationis rationem in nostra Curia non dederint, in Officiales neque eligantur, neque confirmentur. Quam quidem rationem singulis annis post completum officium Cancellariæ nostræ dare teneantur.

CAPUT XIX

De Notariis.

Cum ad nostram notitiam pervenerit nonnulla legata ad pias causas ab illis, ad quos spectat, nequaquam adimpleri, et ad debitam eorundem satisfactionem obligari non posse ob ignorantiam hujusmodi legatorum, fundationis, aut institutionis; tanto malo abviam ire cupientes juxta

juxta ſtatuta Concilii Mediolanenſis ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ ſingulis & quibuſcunq;Notariis, Scribis,cæteriſq;tam Secularibus,quàm Eccleſiaſticis,qui teſtamenta,codicillos,donationes,aliaſq; ſcripturas quomodolibet nuncupatas de legatis piis, aut de malè partis, vel furto ablatis, relictis, quas ipſi rogati conſcripſerunt, vel ab aliis ſcripta apud ſe retinent : & poſthac conſcripturi ſunt, & retinebunt;præcipimus, & mandamus, ut intra trimeſtre ab hujus Synodi publicatione computandum quoad jam conſcripta; quoad verò conſcribenda intra menſem a die obitus teſtatoris, aut donantis Epiſcopo notificent, & revelent : necnon debita mercede ſoluta particulas de legatis piis, & relictis publica auctoritate munitas tradant.

C A P U T XX

De Lectione Sacræ Scripturæ, & Caſuum Conſcientiæ.

AD Canonicum Theologum ſpectat ſingulis diebus Dominicis occurrentibus poſt Octavam Feſti Omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & poſt Octavam Epiphaniæ uſque ad Feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, exceptis Dominicis Quadrageſimæ in noſtra Cathedrali Eccleſia,poſt Veſperas publicè exponere, & interpretari Sacram Scripturam idiomate patrio, ut a populo intereſſente intelligatur. Quare eundem monemus & hortamur, ut officium ſuum diligenter adimpleat, quo fructus a Sancta Tridentina Synodo percupitus percipiatur. Ad quam Sacræ Scripturæ lectionem ſinguli de Clero nemine prorſus excepto accedere teneantur.

Quod ſi aliquo impedimento detentus per ſe ipſum lectioni præfatæ vacare nequiverit, ne prætermittantur lectio-

nes

nes, id præstare poterit per alium, a Nobis tamen approbandum.

Archipresbyteri Parochialium Ecclesiarum, Civitatis, & Diœcesis conferentias habeant casuum conscientiæ bis in mense, ad quas intervenire teneantur Presbyteri Participantes, & Aggregati; reliqui verò Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & Clerici, qui nulli Parochiali sunt adscripti, intersint casibus conscientiæ, qui proponentur, & resolventur in illa Parochia, in qua domicilium habent.

Volumus etiam, ut in nostra Cathedrali quater in anno, nempe ante Festa Natalitia Domini nostri Salvatoris, Paschatis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum, Cæremoniarum Magistri alternatim duo dubia proponant, unum super Rubricis Missalis, & Breviarii, & alterum super cæremoniis, eaque secundùm probatorum authorum sententiam resolvant. Ad quas conferentias obligamus singulos Sacerdotes tam Participantes, quàm non Participantes, nec non Clericos, Diaconos, & Subdiaconos.

Methodus servanda in quibusvis his conferentiis erit sequens. Proponentur ab illo, qui lectiones faciet, dubia, seu casus in hebdomada antecedenti ad lectionem, ut quilibet ex interessentibus paratus accedere valeat. In actu conferentiæ explicabuntur dubia, seu casus per eundem cum citatione authorum tam pro, quàm contra scribentium, & demum ab eodem resolventur juxta sensum, & opinionem probatiorum Doctorum, seu secundùm opinionem, quæ probabilior reputabitur. Hoc pacto cuilibet ex interessentibus liberum erit resolutioni modestè, & reverenter se opponere, & audire responsiones, quæ a casus, seu dubia proponente dabuntur.

Quilibet Parochus, necnon Cæremoniarum Magistri, quorum arbitrio relinquimus determinationem diei fixi conferentiarum habendarum, librum habeant, in quo notentur

casus

casus, & dubia proposita cum suis resolutionibus, & interessentes conferentiis proprio charactere se subscribere teneantur; ut sciamus, quinam interfuerint, & quinam non, ut a transgressoribus pœnas taxatas exigere queamus. Quem quidem librum Parochi, & Cæremoniarum respectivè Magistri in fine cujuslibet conferentiæ Nobis conspiciendum exhibeant etiam non requisiti.

Sacerdotes non interessentes hujusmodi conferentiis sine causa legitima per Nos probanda mulctabuntur pœna trium librarum ceræ albæ elaboratæ applicanda illi Parochiali, ad quam convenire debebant; non Sacerdotes verò ab ulterioribus Ordinibus suscipiendis arcebuntur.

C A P U T XXI

De Contractibus, & Usuris.

CUm callidissimus humani generis hostis sub pietatis pallio nonnullorum circumveniens simplicitatem, eosdem ad Usu~~rarios contractus quoquis jure improb~~atos, & damnatos impellat: ut deceptoris artes, quantum in Domino possumus, eludamus; sequentes contractus, qui, ut profertur, in hac Civitate, & Diœcesi fieri solent, damnare visum est, & prohibere.

Pecuniam negotiationi expositam dare ad interesse, seu ad usuram cum corresponsione unius caroleni in mense pro quolibet ducato est prorsus illicitum, & damnata usura. Quare interessatum declaramus excedere non debere summam ducatorum septem in anno pro quolibet centenario. Et contrafacientes obligatos esse ad restitutionem, necnon puniendos tanquam usurarios.

Merces cariùs vendere, ultra scilicet altum, & rigorosum pre-

pretium earundem ob dilatam solutionem, aut viliùs emere; infra videlicet benignum, & infimum pretium ob anticipatam solutionem, est illicitum.

Fabas dare tempore hyemis ad pretium frumenti, easque recipere tempore messis ad pretium tunc currens nullo habito respectu ad novi tritici pretium est prorsus illicitum. Idcirco, qui fabas dant tempore hyemis, dummodo alioquin essent eas servaturi, stare debeant liquidationi earundem in mense Martio faciendæ, & debitorem non obligare ad fabas restituendas; liberum namque erit debitori vel in fabis, vel in pecunia satisfacere juxta regulam Juris Canonici *In alternativis debitoris est electio*. Quod si liberè fuerit conventum de restitutione in fabis facienda, easdem computare debebunt creditores ad pretium juxta vocem faciendam, aut currens tempore, quo fit, aut facienda est solutio, & non aliter.

Blada dare tempore hyemis ad pretium liquidandum in hac Civitate in mense Majo, si ipsa servanda essent usque ad dictum tempus, & nova recipere juxta vocem, quæ fit Foggiæ in mense Augusto cum deductione vecturæ, & expensarum, quæ fieri deberent, si asportanda essent in dictam Civitatem, dummodo realiter, & cum effectu non asportentur; illicitum esse declaramus.

Dare pecuniam mutuò indigenti cum pignore frugifero pro securitate solutionis; fructus ex pignore percepti computandi sunt in extinctionem sortis principalis; aliàs erit contractus usurarius. Sicuti contractus vulgò nuncupatus *a godere*, *a godere* usurarius est. Qui quidem contractus licitus esse poterit, si interveniat titulus verus, & realis, cujus ratione pecunia, quæ de se sterilis est, fructifera reddatur, puta emptionis cum pacto retrovendendi, aut census. Quo titulo interveniente realiter tantùm, & non apparenter creditor sibi retinere poterit portionem fructus duntaxat corresponden-

tem

tem pensioni licitæ ei debitam, & non plus; aliàs ad restitutionem tenebitur.

Pactum legis commissoriæ, quod in eo consistit, quod si debitor tempore statuto non solvat, incidat in commissum, id est jus amittat rei oppignoratæ: quotiescunque pretium rei oppignoratæ mutuatæ pecuniæ valorem excedat; damnamus, & improbamus, & multò magis si res oppignorata fuerit frugifera. Idcirco mutuans in casu ad restitutionē teneretur, ne dum valoris pignoris pecuniam mutuatam excedentis, verùm etiam fructuum ex pignore perceptorum.

Reliquos contractus hîc non expressos alioquin usurarios, aut usuram sapientes damnamus, & improbamus non solùm; imò etiam nullius esse roboris, sicut & illos a Nobis expressos, etiam si essent juramento firmati, volumus, & declaramus. Præcipientes Notariis, Tabellionibus, aliisque usurariæ pravitatis quomodolibet participibus, ne audeant hujusmodi contractibus interesse, aut stipulare sub pœnis contra eosdem usurarios latis. Quos ~~pariter obligatos volumus ad~~ denunciandum Nobis præfatos contractus unâ cum personis contrahentibus, ut in ipsos, ut par est, animadvertere valeamus.

Manifesti usurarii, de quibus scilicet publica vox, & fama, necnon certa sunt indicia, quod in contractibus, & mutuo usuram sive realem, sive palliatam commiserint, post mortem sepultura Ecclesiastica privabuntur: & in vita, si monitionibus præmissis non resipuerint, & usurariè percepta non restituerint, excommunicationi majori Nobis reservatæ supponentur.

Hortamur denique in Domino, & monemus omnes, & singulos quomodolibet contrahentes, aut pecuniam mutuantes, ut in negotiationibus suis conscientiam

I pro-

propriam cautè tueantur: & antequàm contrahant, viros doctos, & probos consulant, ut justitiam servent, & æqualitatem, ne propter temporale lucrum, quod citò evanescit, æternum, quod nunquam decidit, miserè perdant.

CAPUT XXII

De Punctatoribus, & Punctatione.

IN qualibet Ecclesia Collegiata, sive Conventuali tum Civitatis, tum Diœcesis eligantur per annum duo Punctatores, alter ab Episcopo in Cathedrali Ecclesia, alter a Capitulo; in aliis verò Ecclesiis ab illis, ad quos de jure spectat, aut de consuetudine, qui sint fideles, & Choro assidui, quive juramentum de rectè officium obeundo in manibus Episcopi, & Cleri respectivè dare teneantur.

Horum officium erit punctare absentes a servitio Chori cum clara, & distincta adnotatione diei absentiæ non per lineas, sed per figuras arithmeticas: necnon horarum canonicarum, quibus non interfuerunt, aut defectus, ratione cujus pœna punctationis sunt mulctandi; ut in casu gravaminis quilibet se defendere queat, & his diligentiis adhibitis, & cautelis jurgia vitentur inter Punctatores, & Punctatos.

Singulis hebdomadis libros punctationum inter se conferant, ne error aliquis, aut diversitas, quæ dissentiones, & simultates parere possit, in ipsis subrepat. Sicut & qualibet semota personarum acceptione munus suum fideliter, & cum zelo exequantur, ne servitium Divinum, ad quod promovendum beneficia, & portiones

nes Ecclesiasticæ sunt instituta, minuatur.

Quod si in id negligentes, aut partiales comperti fuerint; per Rectorem Chori quotidiana distributione unius hebdomadæ omnimodè mulctentur. Reliqua Decreta in Synodo tertia *Mattæ*, & in Statutis Ecclesiarum punctaturas concernentia observata volumus, & mandamus.

Hæc sunt, quæ ad Dei gloriam, hujus Sanctæ Severopolitanæ Ecclesiæ decus, & Animarum Nobis commissarum Spiritualem profectum maturo cõsilio stabilienda censuimus. Ad quorum observantiam, & exequutionem, sicut omnes, & singulos respectivè hortamur in Domino, & monemus; ita eosdem obtestamur, ut pro felici, ac tranquillo statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus judicio, & correctioni hæc omnia religiosè subjicimus, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Clementis XI incolumitate, Augustissimi Imperatoris, & Regis Nostri Caroli VI prosperitate, ac pro nostrorum tandem remissione peccatorum crebras ad Deum non dedignentur effundere preces.

F. ADEODATUS Episcopus S. Severi, & Civitaten. ita definiens subscripsi.

Locus Sigilli.

U.J. D. Joseph Can. Bellini Synodi Secr.

IN DEI NOMINE AMEN.

PRæsenti hoc publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, qualiter in prima sessione pro Synodo celebranda habita in Ecclesia Cathedrali hujus Civitatis S. Severi die Mercurii, trigesima proximi præteriti mensis Octobris millesimi septingentesimi vigesimi, de mane post Missam cantatam a Reverendiss. Domino U.J., & Sac. Theologiæ Doctore D. Nicolao Fania Canonico Pœnitentiario, & Vicario Generali Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Fratris Adeodati Summantici Ordinis Eremitarum S. Augustini Episcopi hujusmet Civitatis S. Severi, & Civitaten., stante angustia dolorum calculorum præfati Illustriss. D. Episcopi, idem Illustriss., & Reverendiss. Dominus sermonem habuit Reverendissimo Capitulo, & Clero tam urbano, quàm foraneo respectivè per Edictum vocato, & legitimè in ipsa Cathedrali Ecclesia congregato. Et persolutis precibus in Pontificali Romano præscriptis fuerunt lecta a Perillustri, & Admod. Rev. U.J. D. Canonico D. Josepho Bellino Abbate infulato, & Synodi Secretario Decreta præliminaria, & fuerunt electi, ac deputati Examinatores, & Judices Synodales, a quibus præstitum fuit juramentum de fideliter respectivè exercendo munus: interrogatisque omnibus, si haberent quid contradicere; responderunt una voce Placet. Postea fuit lectum Decretum de Fidei Professione, quæ fuit emissa ab omnibus, & singulis, qui ad eam tenebantur, & continuata fuit lectio Decretorum Synodalium usque ad Sacramentum Matrimonii inclusivè. Die verò trigesima prima ejusdem mensis Octobris in secunda Sessione post cantatam Missam a Perillustri Admod. Rev. Domino Archidiacono D. Nicolao Scortia U.J.

D.

D., ac precibus absolutis in ipso Pontificali præscriptis fuit continuata lectio ipsorum Decretorum, & terminata: & Decreta ipsa ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Episcopo fuerunt subscripta. Tandem ob horæ tarditatem fuit procrastinata tam Processio pro gratiarum actione, quàm vocatio totius Cleri ad obedientiam. Quibus quidem Decretis Synodalibus, ut suprà lectis, & alta, ac intelligibili voce per præfatum Dominum Secretarium publicatis, interrogatis omnibus, si haberent quid contra; responderunt omnes Placet. Deinde hoc mane die prima Novembris convenietibus omnibus facta fuit Processio pro gratiarum actione, & vocati omnes fuerunt ad obedientiam, quâ præstita Illustriss., & Reverendiss. Dominus Episcopus solemnem dedit benedictionem, & lectum fuit Decretum de discessu.

Quibus peractis requisiti fuimus, ut unum, plurave conficere deberemus instrumentum, seu instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum, ut suprà, in Ecclesia Cathedrali S. Severi hac die prima mensis Novemb. 1720, Indictione 13 præsentibus, audientibus, & intelligentibus Magnificis Nicolao Rossi, Jacobo Patientia, & Placito de Santis testibus ad hæc specialiter vocatis, habitis, atque rogatis, &c. Unde in præmissorum fidem de prædictis omnibus rogatus, & requisitus hic me subscripsi, & meo Signo signavi.

Ita est Abbas D. Augustinus Coizzius Notarius Apostolicus, & in Archivio Romano adscriptus.

Locus Signi.

AP-

APPENDIX

AD SYNODUM.

Instructio pro Confirmandis.

PUblicato Edicto de Sacramento Confirmationis per Episcopum ministrando, hortentur Parochi populum, ut utriusque sexus filios, qui septimum ad minus annum attigerunt, ad Sacramentum hoc suscipiendum mittat.

Moneant, ne Confirmandi fronte sordida, & capillis incompositis accedant, necnon Patrini cum armis, & Matrinæ nisi pectore velato.

Ut confusiones vitentur, curent, ut mares cum suis Patrinis in parte dextera Confirmandis, & feminæ in sinistra se præsentent. Et cæteri adstantes circulum ingredi non audeant, sed extra ipsum reverenter, & devotè ministrationi hujusce Sacramenti assistant.

Interessentes, dum præsertim recitantur preces, & gratia invocatur Spiritus Sancti, singuli genuflectant, & religiosè meditentur singulare beneficium fidelibus relictum a Domino, quod per hoc Sacramentum Confirmandis confertur.

Confirmati, & eorum Patrini ab Ecclesia non discedant, nisi post acceptam benedictionem, & descriptis eorum nominibus per Parochum, aut ejus Oeconomum in libro ad id deputato.

Instructio pro admittendis ad Sacram Communionem pro prima vice.

NOn admittantur ad sacram Communionem, nisi adulti rudimenta Fidei callentes, & Parochi eos doceant, quæ credere tenentur de hoc Augustissimo Sacramento, videlicet Christum Dominum cum Anima, & Corpore, Carne, & Sanguine, Humanitate, & Divinitate esse realiter præsentem sub speciebus panis, & sine sui divisione esse in tota Hostia, & in qualibet parte ejusdem.

Moneant teneri priùs Sacramentali Confessione mũdare animam a peccatorum sordibus, ut dignè recipiant Corpus Christi; aliter gratiam Sacramentalem, cæterosq; hujus divinissimi Sacramenti fructus non suscepturos; imò potiùs Sacrilegium commissuros: necnon accedere debere ad Altare cum recta, & sincera intentione sumendi Corpus Christi Sacramentum, & non, ut videantur præcepto Sacramentalis Communionis satisfacere.

Eosdem hortentur, ut post Communionem ad minus per horam vacent orationi: & gratias reddant Majestati Divinæ, quæ sua ineffabili Misericordia propriis carnibus nutrire dignata est suas animas: & suppliciter petant auxilia ad tentationes vincendas, præcavenda in posterum peccata, ad Fidei confirmationem, spei stabilimentum, & augmentum charitatis, ut reliquum suæ vitæ tempus in servitio Divino, & pietatis impendant operibus; & sic ad æternam beatitatem post temporalis vitæ cursum perveniant.

De-

Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum circa Communionem quotidianam.

CUm ad aures SS. D. N. fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis etiam in feria sexta in Parasceue, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse a jure Divino: quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse, videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi; imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes Seculares, aut Regulares, aliisque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito: ac tandem qui confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, eadem Sacra Congregatio prævia matura discussione super prædictis, unanimi sententia ita censuit: *Etsi frequens, quotidianusque Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt*. Quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm indicavit, cùm inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramen-*

mentali Eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes: multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa, quæ cùm humanis oculis scrutari non possimus, nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum, secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertant. Cùm Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi; eos seriò admoneant tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimùm invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet. Illudq; omnino provideat, ut nemo in Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præsti-

tutis Communicet; siquæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut, cùm fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint; statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi Cibi sumptionem devoto studjo excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, aut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine discant Cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri: &, si quando se minus paratos senserint, ab ea abstineri, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio ergo Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipso adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentia, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devotè hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs reficere cupiunt; suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tra-

tradidit, atque in Cœleſti Regno ſe prœmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure Divino: doceant, in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, præterquàm ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant: & ad eos, ſi ab Eccleſia, deferatur publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria ſexta in Paraſceue Miſſalis, Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Non permittant, ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint; ſciant Deo optimo maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, rigoroſam animadverſionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu; facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione Sanctitas Sua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c. Datum Romæ 12. Februarii 1679. Fr. Card. Columna Præfect. S. Archiep. Brancacius Secret.

FIDES REQVISITORUM PRO PROMOVEDIS.

PRO PRIMA TONSURA.

I DE Baptiſmo, Natalibus, & Ætate.
II De Confirmatione.
III De Vita, & Moribus, Doctrinæque Chriſtianæ frequentatione.
IV De Schola.
V De Denunciatione nominis, & deſiderii facta in Eccleſia ſuæ Parochiæ.

PRO MINORIBUS ORDINIBUS.

I DE Prima Tonſura, & ultimo Ordine ſuſcepto.
II De Vita, & Moribus, & habitus Clericalis geſtatione.
III De Frequenti perceptione Sacræ Communionis.
IV De Frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ.
V De Exercitio ordinum ſuſceptorum, & Servitio Eccleſiæ, cui eſt adſcriptus, præſtito; niſi ſtudiorum cauſa abſit.
VI De Schola, & aſſociatione Sanctiſſimi Viatici.
VII De Frequentatione Caſuum conſcientiæ.

PRO SUBDIACONATU.

I DE Ultimo Ordine ſuſcepto.
II De Denunciationibus in Eccleſia Parochiali factis tam quoad nomen, & deſiderium perſonæ ordinandæ, quàm quoad Beneficium, ſeu Penſionem, ſeu Patrimonium, & de pacifica Poſſeſſione ejuſdem.

III De

III De Ætate viginti duorum annorum inceptorum.
IV De Ordinis suscepti Exercitio, & Servitio Ecclesiæ, cui est adscriptus, præstito, & Clericalis habitus gestatione.
V De Frequentatione Sacræ Communionis, & Associatione Sanctissimi Viatici.
VI De Natalibus, Vita, & Moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione, & de Exercitiis spiritualibus.
VII De Frequentatione collationum Casuum conscientiæ.
VIII De Titulo, ad quem ordinari petit, ejusque pacifica Possessione, & fructuum inde perceptione.

PRO DIACONATU.

I DE Ordine Subdiaconatus suscepti.
II De Denunciationibus, ut supra.
III De Ætate viginti trium annorum inceptorum.
IV De Subdiaconatus Exercitio, & Servitio Ecclesiæ, cui est adscriptus, præstito, & Clericalis habitus gestatione.
V De Frequentatione Sacræ Communionis, & Associatione Venerabilis.
VI De Natalibus, Vita, & Moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione.
VII De Frequentatione Casuum conscientiæ, & de Exercitiis spiritualibus.
VIII De Titulo, ad quem ordinari petit, ejusque pacifica Possessione, & fructuum inde perceptione.

PRO

PRO PRESBYTERATU.

I DE Ordine Diaconatus susceptis.
II De Denunciationibus, ut suprà.
III De Ætate viginti quinque annorum incœptorum.
IV De Exercitio Ordinis Diaconatus in Ecclesia, cui est adscriptus, & Clericalis habitus gestatione.
V De Frequentatione Sacræ Communionis, & Associatione Venerabilis.
VI De Natalibus, Vita, & Moribus, Doctrinæque Christianæ frequentatione, de Exercitiis spiritualibus.
VII De Frequentatione collationum Casuum conscientiæ.
VIII De Titulo, ad quem ordinari petit, ejusque pacifica Possessione, & fructuum inde perceptione.

Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis ex Decreto Sacræ Congregationis Sancti Officii sub die 21 Augusti 1670.

I IN primis testis moneatur de gravitate Juramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, & humana Majestas læditur ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quod imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

II Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

III An sit Civis, vel exterus: & quatenus sit exte-

rus,

rus, quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

IV An ad examen accesserit sponte, vel requisitus. Si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur; quia præsumitur mendax. Si verò dixerit accessisse requisitum; interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

V Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquod datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

VI Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, vel conditionis existunt.

VII Interrogetur, an contrahere volentes sint Cives, vel exteri. Si responderit esse exteros; supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum verò eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere; admittantur testes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ absque eo, quod deferre teneantur attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

VIII Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarint, vel habitent de præsenti.

IX Item, an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contra-

trahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professionem fecisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium.

Si verò testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut suprà.

X Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum &c., quod ipse testis nesciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur, nisi ex illis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum &c. Si verò responderit negativè.

XI Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde Judex colligere poterit, an testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos.

XII Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, & nunc esse mortuos. Et, si responderit mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ fuisse sepultos a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi priùs recepto testimonio authentico a Rectore Hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest, a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt; Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure cōmuni possunt admitti, dummodo sint legitimi, & sufficiẽtes.

XIII In-

XIII Interrogetur, an post mortem dicti conjugis defuncti aliquis ex prædictis transierit ad secunda vota.

Si responderit negativè

XIV Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota absque eo, quod ipse testis sciat. Si responderit affirmativè, supersedeatur à licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si verò negativè

XV Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. Multi sess. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, & sigillum; & attentè consideretur, quod fides, seu testimonia bene & concludenter identificent personam, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei; quia præsumuntur meliùs informati, & cives magis, quàm exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio. Et Notarius exactè describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula *Mihi bene cognitum*; sin minus, examen non recipiat, nisi cum persona testis aliqua alia cōpareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debent interesse in Urbe ultra Notarium Officiales specialiter deputandi ab Eminentissimo Vicario, & extra Ur-

 bem

bem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea specialiter ab Episcopo deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis,& Ordinarius nôn permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus,& singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur Authenticam reportare,quod pro tali Matrimonio fuerũt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum cõtrahere volentium.

Contravenientes autem severè puniantur.



IN-

INDEX

CAPITUM.

IN-

INDEX

APPENDICIS:

FINIS.

MENDA	*EMENDA.*		
illis	illi	pag. 19	vers. 28
discessarum	discissarum	pag. 52	vers. 21

/02
E
17